Recensions-Exemplar!

CURAE STATIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

CONSCRIPSIT

ALFREDUS KLOTZ

ZITTAVIENSIS.

Commissionsverlag

~~LIPSIAE~~

~~TYPIS M. HOFFMANNI.~~

~~MDCCCXCVI.~~

von

MEMORIAE

PATRIS CARISSIMI

ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ὅμοιος· καὶ γένοι᾽ ἂν οὐ κακός.

Sophocles.

Infinitum esse de Statio scribere nuperrime pronuntiavit Fridericus Leo.[1]) Ac profecto si quis consideraverit, quot viri docti et priorum et recentiorum temporum in Statio operam suam collocaverint, quotque paginae de silvis potissimum conscriptae sint, mirabitur opinor non plus evasisse fructus ex tanto labore. Sed evolvas modo libros qui de hoc poeta exstant: multis erroribus scatentem unumquemque fere invenies. Imprimis autem haec peccata e falsa vel non accurata interpretatione nata sunt. Cuius rei, ne fumos videar vendere, nonnulla in animo est proferre exempla. Veluti initium capit in disputatione sua Henricus Müller[2]) a silv. II 6, 1, ubi Peerlkampium castigat ‚lugendoque' conicientem. Sed ad ipsum haec vituperatio recidit. Contulit enim silv. V 5, 60 sq. atque rectissime contulit — simillima est sententia simillime expressa — sed non debuit inde concludere, ‚lugendique' ullo modo posse defendi. Verba autem singula spectare maluit quam totum enuntiatum. V 5, 60 enim sic se habet:

> o nimium felix . . . . . . qui dicere legem
> fletibus aut fines audet censere dolendi!

ubi necessario legitur ‚dolendi'. Nam constructio haec est: qui audet legem dicere fletibus et censere esse fines dolendi. Sed altero loco totum contra est:

> saeve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis
> lugendique modos.

sic sane exstant haec verba in libris: quisquis lacrimis ponis discrimina et modos — lugendo puto. Nam lacrimis lugendi modos ponere nihil est. Jam vides, quid intersit inter hos duos locos: non cognovit Müllerus, quia locos obiter tantum comparavit.

Idem vir doctus (l. l. p. 26 adn.) immerito Barthii interpretationem respuit silv. III 2, 109 sq. ubi ‚Cecropius' idem vult esse atque ‚Aegyptius'. Sed et ridiculus sic exsistit sensus —

---

[1]) de Statii silvis commentatio. ind. lect. Gotting. 1892/3 p. 23.
[2]) studia Statiana, diss. Rostoch. 1894. p. 3.

quo enim luto stagnentur ripae Nili nisi Aegyptio? — neque singula poetae verba possunt explicari: Recte cum Barthio Marklandus interpretatus est coll. Plin. h. n. X. 94: <hirundines> in Aegypti Heracleotico ostio molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt stadi fere unius spatio, quod humano opere perfici non posset.

In eiusdem eclogae versu 21. Müllerus (l. l. p. 35) ‚annum' de vino vult accipi: quasi vinum adportavisset classis illa Alexandrina! Annum pro annona sane dixit poeta, sed frumentum intellegi vult, cf.. Luc. III 70. 451. nec non Theb. IV 710. Inductus autem est in errorem vir doctus eo quod v. 24. ex illis navibus Mareotica vina libari dicuntur.

Atque ne villae Tiburtinae (I 3) versus 84. quidem adhuc recte mihi videtur esse explicatus. Intellexerunt enim quod sciam omnes Lucrinas domus de villis prope lacum Lucrinum sitis. Cui sententiae novissime adstipulatus est Müllerus (l. l. p. 46.) Quam ne accipiam duabus causis impedior. Primum enim si in ceteris quae hic enumerantur locis numen vel conditor oppidi vocatur, cur in uno adiectivum adponitur? Deinde cetera quae commemorantur oppida circa Latium sita sunt: cur unum ex Campania adsciscitur, quasi non sufficeret Latium? Sed removentur hae offensiones, modo recte interpretemur ‚Lucrinae domus'. ‚Lucrinae' enim genetivum esse statuo. Lucrina autem est Venus: cf. III 1,150. Cuius templum ab Aenea, ut ferebatur, dedicatum Lavinii erat, cf. e. g. Strab. V 3,5 p. 232. Hoc igitur oppidum a poeta dici mihi persuasum est.

Nonnumquam autem in quaesita et artificiosa vel adeo stulta interpretatione acquiescere maluerunt viri docti quam lenissima mutatione traditis verbis lucem adferre, eo tantum consilio, ut haberent quae vituperarent. Paucissima e multis promam exempla: de II 1,181 sq. nuperrime egit Müllerus (l. l. p. 9). Fabulam ex sua ipsius Thebaide sumpsit poeta. Ophelten enim serpentis morsu occisum et Amphiarai iussu Archemorum esse appellatum inde a versu 505 quinti libri enarravit. Iam plura sunt in quibus aliquis iure offendere possit. Neque vero possum concedere argumentis a Müllero prolatis scripturam traditam esse defensam. Dicit non pulchram esse totam sententiam neque sibi placere repetitionem vocabuli ‚anguis'. Tamen Statio hoc tribuendum esse. Concedo ex sola repetitione suspicionem peti non licere, concedo auctorem sententiam minus pulchram minusve expolitam scribere potuisse: illud non concedo Statium quidquam prorsus inane absurdumque et a sua sententia alienum legentibus proposuisse.

Atque re vera hoc Müllerus ei obtrudere vult. Nam contemplemur sententiam et comparationem quam poeta instituit! Glaucias Melioris delicatus in toro sepulcrali propositus comparatur cum Ophelte serpentis morsu interfecto. Quid est tertium quod dicunt comparationis? Omnino nullum est. Nam in sola morte praematura non esse positum illud demonstratur ea imagine quae v. 179. 180. continetur.[1]) Hoc bene statuit Koestlinius (philol. vol. XXXVI (1878) p. 178). Sed alia quoque corruptelae sunt indicia. Rescissum squamis dicit poeta Ophelten h. e. a serpentis squamis remotum. At tuncine anguis bibit Ophelten? Offensio non est — id quod Marklando visum est — in epitheto quod Lernae datur: anguiferae; hoc optime subindicat fabulam. Nam mea quidem sententia errant qui de hydra ab Hercule superata accipiant. Lerna enim est pro vicina Nemea, ubi Opheltes mortuus est. Accedit aliud. Verba ‚bibit anguis Ophelten' pulchre dicta esse ipse Müllerus concedit neque ego in illo ‚bibit' cum Marklando offenderim. Tamen hic vir de Statii silvis optime meritus illud mihi verissime videtur contendisse ‚avidus' adiectivum ad illum anguem minime quadrare, immo poetam sibi ipsum contradicere cf. Theb. V 538 sq. Si quae usque adhuc disputavimus, cuncta complectimur, offensionis ansam dare unam vocem ‚anguis' apparet. Atque si pro ea cum Koestlinio ‚ignis' scribimus, nullis iam dubitationibus obnoxius est locus. Equidem hanc coniecturam egregiam esse iudico. Müllerus tamen eam ne mentione quidem dignam censuit vel omnino non cognovit.

Neque de eiusdem eclogae v. 172. eidem (l. l. p. 9) prospere rem cessisse arbitror; σκιαμαχεῖ enim. Bentlei coniecturam refutavisse sat habet. Sed nemo opinor nostra aetate summi illius viri propositum defensurus est. Tamen si traditas litteras retinemus, restant scrupuli. Nescitur enim vel in dubio est, quid significet ‚dilectosque premis visus'. Hoc tunc demum manifestum fit, si cum Koestlinio (l. l. p. 178) et Ottone (mus. Rhen. vol. XLII (1887) p. 532) ‚labris' scribimus pro ‚lambis'. Duplici igitur opprobrio et obscuritatis et inelegantiae sic lenissima emendatione Statium liberamus. Cur eam non arripiamus?

Deinde quomodo poeta non sit interpretandus luculentum nobis exemplum suppeditat Leo Claretie[2]), qui utile esse dicit ad intellegendum I 5,21. scire, quomodo Cebrenis serpentis morsu

---

[1]) quos versus Polsterus restituit: quaestiones Tullianae et Statianae II. progr Ostrowo 1879 p. 17. Idem minus bene de v. 181 sq. egit.

[2]) de P. Papinii Statii silvis. Lutetiae Paris. 1891. p. 58.

saucia Esacum — Aesacum debuit saltem scribere — ardentem effugerit. Doleo me non cognoscere ingenium poetae qui haec occultavit sub verbis hisce:

viduae Cebrenidos arida luctu
flumina.

Num miraris poetam, qui sic explicatur, in involuti sermonis opprobrium venire? Res aperta est neque opus est sano homini indicare Cebrenidem esse Oenonen[1]).

Sed iam finem faciamus praefandi. Satis superque vel ex his exemplis erit cognitum in interpretando Statio non nihil esse relictum. Atque succrescit nova silvarum editio quae nobis commentarium exegeticum suppeditabit. Nam ignominiae licet sit nostris temporibus: in explicando Statio unice fere nitimur in Barthii aequaliumque editionibus, quae sicut illa aetate summum plausum merito tulerunt, ita hodie, ubi maiora postulamus, minime sufficiunt. Quam ob rem nos pro virili parte illud agimus, ut unam ex silvis eclogam ita interpretemur, ut verba poetae penitus possint intellegi.

Priusquam autem ad villae Surrentinae (II 2) — nam hanc elegimus interpretandam — explicationem accedamus, paucis licebit quid de titulis singulorum carminum iudicemus in medium proferre. Nam quae de eis nunc vulgo statuuntur ferri minime posse videntur. Ab ipso poeta, quae singulis eclogis inscripta sunt, non esse profecta viri docti[2]) conclusere ex titulis hisce:

V, 1: epicedion in Priscillam uxorem.
V, 3: epicedion in patrem suum.
V, 5: epicedion in puerum suum.

Nam quae contra reliquos titulos prolata sunt, nullius sunt momenti. Quintum autem silvarum librum a Statio ipso non esse editum inter viros doctos constat[3]), ita ut hanc sententiam novis argumentis fulcire non opus sit. At si in illo libro non ab ipso poeta tituli adscripti sunt, idemne valet de reliquis? Minime. Immo miraremur si quis nude ‚eclogam ad uxorem' inscripsisset idemque, ‚epicedion in patrem *suum*' et

---

[1]) cf. Parth. 4. Ov. her. 5. Rohde, der griech. Roman etc. p. 110 adn. 8.

[2]) cf. Hermannus Nohl, quaestiones Statianae, diss. Berol. 1871. p. 41.

[3]) cf. Paulus Kerckhoff, duae quaestiones Papinianae, diss. Berol. 1884 p. 23.

sim. Atque nonnullos ex titulis ab homine aliquo esse additos, qui optime cognovit eas personas quibus singula poematia erant dedicata, vel inde apparet quod in eis nomina vel cognomina obviam fiunt quae neque in ipso carmine neque in praefationibus occurrunt, velut *Atedius* Melior (II 1. II 3). Pollius *Felix* (II 2. III 1). *Flavius* Ursus (II 6.) *Vitorius*[1]) Marcellus (IV 4.) *Novius*[2]) Vindex (IV 6). Quid igitur verisimilius quam poetam ubi singulos eclogas in libros complectebatur ipsum titulos addidisse?

Restat ut de apparatu critico breviter agam. Quem ut plenum habere mihi liceret, eximia Mauritii Krohn Zittaviensis benevolentia factum est, qui suas copias liberalissime mecum communicavit. Nec non gratias habeo Engelberto Drerup, qui cum Romae versantem rogavissem notas margini editionis principis adscriptas, amicissime in meum usum enotavit. Atque elegi ex locupletissimo apparatu codicis Matritensis a Gustavo Loewe reperti lectiones (cod. bibl. nation. 31), quem librum archetypum ceterorum esse demonstraturus est Krohnius. Signavi autem codicis lectiones littera M quaeque altera manus correxit, eadem littera minuscula. Quae viri docti passim praestiterunt in textu vel emendando vel explicando, suo loco adnotabo. Krohnii coniecturas ex litteris quas ille ad me dedit compertas habeo.

---

[1]) cf. Nohl, Herm. XII (1877) p. 518.

[2]) sic enim recte iam Handius nomen illud scripserat in peculiari huius eclogae editione: progr. Jenae 1849. cf. Kalinka: stud. Vindob. vol. XII (1890) p. 247.

Villa Surrentina Pollii Felicis.

Est inter notos Sirenum nomine muros
saxaque Tyrrhenae templis onerata Minervae
celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
qua Bromio dilectus ager collesque per altos
uritur et prelis non invidet uva Falernis.
huc me post patrii laetum quinquennia lustri,
cum stadio iam pigra quies canusque sederet
pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
trans gentile fretum placidi facundia Polli,
detulit et nitidae iuvenilis gratia Pollae,
flectere iam cupidum gressus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
sed iuvere morae placido lunata recessu
hinc atque hinc curvas perrumpunt litora rupes.
dat natura locum montique intervenit unum
litus et in terras scopulis pendentibus exit
gratia prima loci: gemina testudine fumant
balnea, et e terris occurrit dulcis amaro
nympha mari. levis hic Phorci chorus udaque crines
Cymodoce viridisque cupit Galatea lavari.
ante domum tumidae moderator caerulus undae
excubat innocui custos laris; huius amico
spumant templa salo. felicia rura tuetur
Alcides; gaudet gemino sub numine portus.
hic servat terras, hic saevis fluctibus obstat
mira quies; pelagi ponunt hic lassa furorem
aequora et insani spirant clementius austri.
hic praeceps minus audet hiems nulloque tumultu
stagna modesta iacent dominique imitantia mores.

---

quae uncinis quadratis inclusa sunt, in rasura leguntur. 4 *in mg. ext.* bromo *M* 5. U[ri]tur *M.* 16. interras 18. eterris 23. solo 25. [o]bstat. 26. *in ext. mg.:* miru.

inde per obliquas erepit porticus artes,
Urbis opus, longoque domat saxa aspera dorso;
qua prius obscuro permixti pulvere soles
et feritas inamoena viae, nunc ire voluptas.
qualis, si subeas Ephyres Baccheidos altum
culmen, ab Inoo fert semita tecta Lyaeo.
non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes
et superet Piplea' sitim largeque volantis.
ungula se det equi reseretque arcana pudicos
Phemonoe fontes vel quos meus auspice Phoebo
altius immersa turbavit Pollius urna,
innumeras valeam species cultusque locorum
Pieriis aequare modis. vix ordine longo
suffecere oculi, vix, dum per singula ducor,
suffecere gradus. quae rerum turba! locine
ingenium an domini mirer prius? haec domus ortus
aspicit et Phoebi tenerum iubar; illa cadentem
detinet exactamque negat dimittere lucem,
cum iam fessa dies et in aequora montis opaci
umbra cadit vitreoque natant praetoria ponto.
haec pelagi clamore fremunt, haec tecta sonoros
ignorant fluctus terraeque silentia malunt,
his favit natura locis, hic victa colenti
cessit et ignotos docilis mansuevit in usus.
mons erat hic, ubi plana vides, et lustra fuerunt
qua nunc tecta subis; ubi nunc nemora ardua cernis,
hic nec terra fuit: domuit possessor et illum
formantem rupes expugnantemque secuta
gaudet humus. nunc cerne iugum discentia saxa
intrantesque domos iussumque recedere montem.
iam Methymnaei vatis manus et chelys una
Thebais et Getici cedat tibi gloria plectri:
et tu saxa moves et te nemora alta sequuntur.
quid referam veteres ceraeque aerisque figuras,
si quid Apellei gaudent animasse colores,
si quid adhuc vacua, tamen admirabile, Pisa
Phidiacae rasere manus, quod ab arte Myronis
aut Polycliteo iussum est quod vivere caelo,

---

30. arces. 35. lyceo. 36. sedet. 40. polius *l add. inter* ‚l' *et* ‚i' m. 44. lociue. 52. *utrum* hic victa *an* his victa *exhibeat M incertum est.* 55. quae. 60. me tymnei. 63. s referam: s *del M.* 64. appellei. 67. policliteo.

aeraque ab Isthmiacis auro potiora favillis,
ora ducum ac vatum sapientumque ora priorum,
quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis,
expers curarum atque animum virtute quieta
compositus semperque tuus. quid mille revolvam
culmina visendique vices? sua cuique voluptas.
atque omni proprium thalamo mare transque iacentem
Nerea diversis servit sua terra fenestris:
haec videt Inarimen, illinc Prochyta aspera paret,
armiger hac magni patet Hectoris, inde malignum
aëra respirat pelago circumflua Nesis;
inde vagis omen felix Euploea carinis
quaeque terit curvos exserta Megalia fluctus.
angitur et domino contra recubante proculque
Surrentina tuus spectat praetoria Limon.
una tamen cunctis procul eminet, una diaetis
quae tibi Parthenopen derecto limite ponti
ingerit: hic Grais penitus delecta metallis
saxa; quod Eoae respergit vena Syenes,
Synnade quod maesta Phrygiae fodere secures
per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
candida purpureo distinguitur area gyro;
hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi
quod viret et molles imitatur rupibus herbas,
hic Chios et gaudens fluctus spectare Carystos:
omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
macte animo, quod Graia probas, quod Graia frequentas
arva nec invideant quae te genuere Dicarchi
moenia! nos melius docto potiemur alumno.
quid nunc ruris opes pontoque novalia dicam
iniecta et madidas Baccheo nectare rupes?
saepe per autumnum iam pubescente Lyaeo
conscendit scopulos noctisque occulta sub umbra
palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereis et dulces rapuit de collibus uvas.
saepe et vicino sparsa est vindemia fluctu,
et Satyri cecidere vadis nudamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis nec nobile mutes

---

76. proclyta. 78. nessis. 79. euboea. 80. ferit. 82. liman. 86. quot. 87. quot. 90. lygurgi. 95. graia — graia.

servitium nec te cultu Tirynthia vincat
aula Dicarcheique sinus nec saepius isti
blanda Therapnaei placent vineta Galaesi.
hic ubi Pierias exercet Pollius artes,
seu volvit monitus quos dat Gargettius auctor
seu nostram quatit ille chelyn seu dissona nectit
carmina sive minax ultorem stringit iambon:
hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren
advolat, hinc motis audit Tritonia cristis.
tunc rapidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur
obstrepere, emergunt pelago doctamque trahuntur
ad chelyn et blandi scopulis delphines aderrant.
vive, Midae gazis et Lydo ditior auro
Troica et Euphratae supra diademata felix,
quem non ambigui fasces, non mobile volgus,
non leges, non castra tenent, qui pectore magno
spemque metumque domas cura sublimior omni
exemptus fatis indignantemque refellens
Fortunam; dubium quem non in turbine rerum
deprendet suprema dies, sed abire paratum
ac plenum vita. nos vilis turba, caducis
deservire bonis semperque optare parati
spargimur in casus: celsa tu mentis ab arce
despicis errantes humanaque gaudia rides.
tempus erat cum te geminae suffragia terrae
diriperent celsusque duas veherere per urbes,
inde Dicarcheis multum venerande colonis,
hic adscite meis, pariterque his largus et illis
ac iuvenile calens plectrique errore superbus.
at nunc discussa rerum caligine verum
aspicis — illo alii rursus iactamur in alto —
et tua securos portus placidamque quietem
intravit non quassa ratis. sic perge nec unquam
emeritam in nostras puppem dimitte procellas.
tuque nurus inter longe <doctissima Polla>
. . . . praecordia curae
non frontem vertere minae, sed candida semper
gaudia et in vultu curarum ignara voluptas:

---

113. gargeticus. 116. escopulis. 119. trahunt: *corr. m.* 122. diademate. 124. terent. 125. tuto sublimior. 126. refelles. 127. dubio. 138. ac. 139. iactantur. 142. dimittere: *corr. m.* 147 longae *sine lac. M.* 148. vescere *an* vestere *exhibeat M dubium est.* 153. [deo].

150. non tibi sepositas infelix strangulat arca
divitias avidique animum dispendia torquent
fenoris: expositi census et docta fruendi
temperies. non ulla deo meliore cohaerent
pectora, non alias docuit Concordia mentes.
143. discite securi, quorum de pectore mixtae
in longum coiere faces sanctusque pudicae
145. servat amicitiae leges amor. ite per annos
saeculaque et priscae titulos praecedite famae.

Priusquam ipsa poetae verba interpretanda adgrediamur haud inutile puto erit totius carminis summam atque dispositionem paucis expedire. Poeta se fingit trans sinum Cumanum a Neapoli navigantem atque describit quodammodo ea primum, quae e mari observari possunt, nempe situm totius villae. Deinde ad oram appulsus quae in litore conspiciantur exponit (usque ad. v. 29). Sequitur ascensus (usque ad. v. 35). In summo monte exceptus a Pollio et circumductus et locum ipsum et eius cultum admiratur (usque ad. v. 73). Tum introit domum: visendi vices enarrat uberiusque de magnifica illa diaeta verba facit, quae Neapolim prospicit. (usque ad v. 97). Redit deinde ad ruris opes describendas (usque ad v. 120). Totam denique eclogam claudunt laudes Pollii et Pollae.

Primis igitur versibus de situ villae ut par est agitur. *muri Sirenum nomine noti* quin Surrentum oppidum significent nunquam debuit in dubitationem vocari. Quanquam nusquam inveni traditam hanc sententiam, ex qua Surrentum a Sirenibus nomen duxisse fertur acriterque huic opinioni oblocutus est Ferdinandus Morellus. [1] Tamen procul dubio Statius eam probavit. Atque eo facilius aliquis ad hanc etymologiam potuit pervenire, quod publice Sirenes colebantur Surrenti. Deinde Sirenum templum prope illud oppidum erat clarissimum, quanquam de situ ambigitur. Porro promunturium Minervae teste Strabone *Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον* [2] vocabatur. Adde quod in sinu Paestano siti sunt scopuli tres quibus Sirenussis nomen erat. Denique Parthenope, una ex Sirenibus, Neapoli sepulta esse ferebatur. Memoria haud scio an falsus sit Kerckhoffius (l. l. p. 49), qui Sirenum muros Puteolos significare dixit, quod oppidum nullo modo quadrat ad hunc locum. Minus etiam apta est haec explicatio ad III 1, 64. ubi de Puteolis ne cogitari quidem potest.

---

1) Ferdinandi Morelli in Statii silvas commentarii.

2) Strab. V, 4, 8 p. 247. nonne *Σειρήνων* scribendum est? cf. Plin. h. n. III, 62: Surrentum cum promunturio Minervae, Sirenum quondam sede.

2. *saxaque Tyrrhenae templis onerata Minervae*: promunturium Minervae dicit, cf. Plin. h. n. III, 62: ‚Surrentum cum promunturio Minervae, Sirenum quondam sede'. et Strab. V, 4, 8. p. 247. *συνεχὴς δέ ἐστι τῇ Πομπηΐᾳ τὸ Συρρεντὸν τῶν Καμπανῶν, ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον, ὅ τινες Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον καλοῦσιν. ἔστι δὲ ἐπ' ἄκρῳ μὲν Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἵδρυμα Ὀδυσσέως κτλ.*, cf. etiam eundem I 2,12 p. 22. et Marklandi ad III 1, 64. notam. Tyrrhena autem Minerva dicitur, quia Tyrrheni speculatix profundi est (V 3, 166) cf. Beloch Campanien 1879 p. 254. Eodem epitheto ornatur dea III 2,24. cf. III 1, 109. poet. inc. ap. Sen. ep. 77,2. Ov. met. XV 709.

3. *celsa Dicarchei speculatrix villa profundi*: Dicarcheum profundum est sinus Cumanus vel ut imperatorum potissimum temporibus appellabatur Puteolanus. Nam Dicarchea — hac forma fere utuntur poetae Latini — Graece ‚*Δικαιάρχεια* vocabatur quae nunc Puteoli quod ea civitas quondam iustissime regebatur' si Festum audimus, cf. Plin. h. n. III 61: Puteoli colonia, Dicaearchea dicti. Strab. V, 4, 8. p. 245. Steph. Byz. s. v. *Δικαιάρχεια*. Ceterum haud videtur praetermittendum esse vocem ‚Dicarcheus' eadem ubique versus sede apud Statium occurrere: cf. II 2,110. 135. III 1,92. III 2,22. III 5,75. IV 8,8. V 3,169.

4. *qua Bromio dilectus ager etc.*: cf. Hor. carm. II 6,18: amicus Aulon fertili Baccho. De vinis Surrentinis conferas quae collegit Imhofius ad III 5,102. Adde huius carminis v. 99. IV 8,8 (ubi hariolantur qui Neptunum intellegunt), Ov. met. XV 710. Surrentino generosos palmite colles. cf. Marquardt., Das Privatleben der Römer 1882 p. 435.

collesque per altos uritur et prelis non invidet uva Falernis: uritur uva nimirum solibus, ut alibi percoqui dicitur cf. e. g. I 6,15. Verg. G. II 522: mitis in apricis coquitur vindemia saxis. Ov. rem. am. 83. Mart. II 40,5. Sen. de benef. VII 31,3. Totum locum ad exemplar Horatianum compositum esse multi adnotavere. Sed in hac imitatione optime poteris cognoscere qua ratione Statius, cum a prioribus poetis aliquid mutuaretur, usus sit. Apud Horatium enim Aulon minime invidet *uvis* Falernis, id quod suo iure aliquis dixerit. Statius vero imaginem detorsit et ‚prela' pro ‚uvis' substituit. Sumpsit ea nimirum ex Propertio (IV (V) 6,73): vinaque fundantur prelis elisa Falernis. cf. Sil. It. VII 165. Conferas sis quae in re simillima disputavit Henricus Müller. l. l. p. 7). uva invidet — prelis: simili locutione poeta usus est: I 2, 150 quis purpura saepe (?) Oebalis et Tyrii moderator livet aeni. Sta-

tium fortasse imitatus est Apollinaris Sidonius carm. 2, 109: et sine se natis invidit pampinus uvis.

6. *huc me post patrii laetum quinquennia lustri etc.*: spectant haec verba, id quod primo obtutu apparet, ad ludos Augustales, qui quinto quoque anno Neapoli celebrabantur. Fuerunt autem agones et gymnici et musici. Egit nuper de eis Belochius, (l. l. p. 269 sq.) cuius disputationi non ab omni parte assentiri possum. Atque quidquid de ludis in universum exposuit, recto talo stat. Tamen de hoc loco haud scio an prave iudicaverit ille. Sed nolo repetere ea quibus Kerckhoffius (l. l. p. 14) eius coniecturam recte refutavit: unum adnoto. Nam quibus causis commotus Belochius Statium eclogis II 2 et III 1 eundem diem celebravisse statuerit, non pronuntiavit neque mihi liquet. Statium autem illis ludis, de quibus hoc loco verba facit, vicisse, male Friedländerum (hist. mor. III p. 442) conclusisse ex his versibus argumentis ad persuadendum idoneis demonstravit Kerckhoffius. Hoc igitur tantum pro certo licet statuere, tertio alicuius olympiadis anno — nam illo agebantur ludi illi — hanc eclogam esse compositam. — Similis versus exitus occurrit: IV 2, 62. V 3, 225.

7. *cum stadio iam pigra quies canusque sederet pulvis* Marklandus cum pessime hic vocem ‚pigra' inseri sibi persuasisset, edidit ‚parta quies': quam coniecturam Burmannus reiecit cl. Claud. de rapt. Pros. III 21. Ov. am. I 9, 41. Stat. silv. II 3, 66. Adde: I 6, 91. A. I 438. Quibus locis fit manifestum pigram haud insolenter appellari quietem. ‚parta' autem immane quantum languet: ‚pigra' optime se habet. Nam inter certamina stadium quodammodo ipsum laborabat et contendebat: postea pro studio et labore pigritia regnabat, ubi gravis et molestus aer in theatro considerat. — canus apud poetas Latinos nonnunquam pulvis vocatur; cf. H. Blümner, Die Farbenbezeichnungen bei den lateinischen Dichtern [1]) p. 80: Ov. Ibis 388. Sil. It. XV, 743. Claud. de rapt. Pros. I, 186.

8. *ad Ambracias conversa gymnade frondes*: ab omni dubitatione remotum est, quin Ambraciae frondes significent ludos illos Apollini dedicatos, quos Augustus ob victoriae Actiacae memoriam instituerat. Causaliter autem accipiendus esse videtur ablativus absolutus qui dicitur: ostenditur cur stadium Neapolitanum iam pigrum sit. gymnas proprie spectaret ad gymnicum solum certamen, sed amplificata notione etiam ad

[1]) Berliner Studien für klassische Philologie und Archaeologie XIII (1892).

alios agonas pertinet. Vox Statio adamata est. cf. III, 1, 44. IV, 2, 48. Theb. IV, 106. Ach. I, 358.

9. *trans gentile fretum.* Statio ut Neapolitano gentile fretum est sinus Puteolanus.

placidi facundia Polli: facundia Pollii laudatur propterea quod Musis ille favet, cf. 40, 112. III, 1, 65: facundique larem Polli. III praef. lin. 9. cf. Rüdiger, quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas. diss. Marburgi Cattorum 1887. p. 17. Similiter ‚facundus' adiectivum occurrit: II 1, 114. I 2, 3. I 3, 1. Placidos amicos suos saepe appellat poeta: cf. I 3, 22. II 3, 15. I 2, 201. III 3, 43.

10. *nitidae iuvenilis gratia Pollae:* cf. III 1, 87 nitidaeque cohors gratissima Pollae. Georgius Curcio[1]) ex hoc loco conclusit magnum temporis spatium interesse inter eclogas II 2 et III 1 conscriptas. Hoc enim loco Pollam iuvenilem dici: alterius eclogae tempore provectiore aetate eam fuisse, quoniam nepotem haberet. Quam argumentationem futtilem esse nemo non videt; quasi non in matrona quoque iuvenilis gratia laudari posset. Immo ex v. 143 sq. et 148 cognoscitur Pollam non iam iuvenili aetate fuisse tum cum Statius villam Surrentinam caneret.

11. *flectere iam cupidum gressus etc.:* cf. Val. Flacc. I, 183: 'gressus rapidos ad litora vertit.' Capuam igitur versus poeta Neapoli erat profecturus nimirum ut Romam contenderet.

qua limite noto: limes idem est atque via. cf. II 1, 176. Flaminio — limite = via Flaminia. IV 3, 109.

12. *Appia longarum teritur regina viarum:* cf. Hor. epod. 4, 14. Appiam mannis terit. Ov. ex. Pont. II 7, 44. nec magis est curvis Appia trita rotis. Pro eo quod traditum est: ‚longarum' *tersarum* coniecit Gevartius haud felici Marte. Optima autem est librorum lectio: cf. V 1, 222: est locus ante urbem, qua primum nascitur *ingens Appia.* IV 4, 2: hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit in latus.

13. *placido lunata recessu hinc atque hinc curvas perrumpunt aequora rupes:* aequora lunata sunt: h. e. in lunae dimidiae formam redacta eo quod terra recessit. Perrumpunt h. e. interrumpunt rupes quae in utroque fine illius recessus prominent. ‚Praerumpunt' autem, quod in nonnullis libris et in editionibus principe et Domitiana exstat, prava Italorum coniectura est ortum. Neque quod Heinsius sibi excogitavit ‚perrepunt' probari potest. Neque enim liquet qualem ima-

[1]) studio su P. Papinio Stazio. Catania 1893 p. 34.

ginem sibi proposuerit vir doctus. *hinc atque hinc:* ab utraque parte cf. Verg. A. I, 162 'hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur in caelum scopuli.' Qui locus haud scio an Statio obversatus sit.

15. *dat natura locum:* 'lacum' Heinsius scribendum censuit. Quae coniectura summo illo viro fere indigna est. Verum est quod in libris exstat: natura suppeditat loci amoenitatem quae depingitur v. 25—29. Interposita est descriptio balneorum templorumque quae in litore sita sunt. Unde criticus audacior fortasse coniceret versus 25—29 traiciendos esse ante v. 17. Sed cum ipse poeta in praefatione huius libri (lin. 15) veniam petat propter nimiam fere stili facilitatem, non ad obrussam omnia exigere licet in hoc carmine.

montique intervenit unum litus: multifariam torsit hic locus viros doctos cum illud 'unum' non intellegerent. Atque qui defendit, Cruceus[1]) sat infeliciter suam rem egit: unum litus nil esse ait nisi: solum litus. Qua explicatione quid lucremur non video. Gronovius (diatr. I p. 176) igitur scribendum esse suspicatus est 'uncum', quod falsum esse ipsa adiectivi notione evincitur: cf. A. Müller, curvus, uncus und Composita, progr. Flensburg 1886. p. 27 sq. curvum dicendum fuit litus quod quamquam metro abhorret, e sua coniectura edidit Queckius.[2]) Ipse auctor dein abiecit suum inventum substituitque: unum, quod fuse docteque refutavit Marklandus. Qui cum Heinsio coniecit 'udum' cl. IV 3,37. III, 1,68. Ov. met. VIII, 175: merum est epitheton ornans. Audacior illis fuit Baehrensius, qui voce 'litus' cum sequentibus coniuncta scripsit: unda, cuius fides sit penes Grasbergerum.[3]) At omnes scrupuli si quid video tolluntur, immo vere interpretari licet locum, si 'unum litus' explicamus 'continuum, non interruptum montibus.' Tunc demum intellegitur quid sibi velit verbum interveniendi: inter rupes enim exstat litoris planities. Atque circumspicientibus nobis, possitne aliunde quaeri fulcimentum huius sententiae, optime succurrit Hercules Surrentinus; cf. III 1,139 sq. certamina Herculi esse instituta in hoc ipso litore narrat poeta. Unde sequitur ut planities fuerit in qua certaretur.

16. *et in terras scopulis pendentibus exit:* recte Gronovius (diatr. I. p. 180.) codicum scripturam retinendam esse censuit, sed non recte interpretatus est. Nam postquam a la-

---

[1]) Gronovii in Statii silvas diatribe II p. 26. (sec. Handii edit.)
[2]) cf. praef. edit. p. XIV.
[3]) Fleckeisensi ann. vol. CXV (1877) p. 420.

2*

teribus planitiem rupibus contineri dixit poeta, iam quale litus terram versus fuerit exponit. Scopuli pendentes ibi imminent litori. Atque villae ascensum arduum fuisse cognoscitur ex v. 30 sq. Restat illud *in terras,* quod variis coniecturis tentavere viri docti. Atque Marklandus quidem, quamquam ferri posse librorum lectionem non negavit, *ulterius* proposuit: plane falsam sententiam intulit poetae, si modo stat, quam supra exposui, explicatio. A loci sensu haud esset absonum *interius,* quod Baehrensius excogitavit non ineleganter, tamen praeter necessitatem: idem enim est quod ‚in terras', si sensum solum spectamus. Marklandi deinde vestigiis insistens Grasbergerus (l. l. p. 420) speciosam proposuit coniecturam: *inter aquas.* Sed quod traditum est, utique est retinendum.

17. *gratia prima loci: gemina testudine fumant balnea:* sic recte interpunxit Gronovius (diatr. I p. 180). Nam appositionis locum tenent verba illa: gratia prima loci. Prima autem gratia est ea quae prima advenientis oculis obversatur. *fumant balnea:* cf. I 3,43 an quae graminea suscepta crepidine fumant balnea. — De eisdem balneis dicit poeta III 1,101: ‚curvi tu litoris ora clausisti calidas gemina testudine nymphas'. testudo igitur pro fornice usurpatur; sic apud Vergilium: Aen. I, 505: media testudine templi. Varr. de r. r. III 5,1. 6,4 al.

18. *et e terris occurrit dulcis amaro nympha mari:* ‚e thermis' coniecit Ludovicus Polster haud male.[1]) Sed nulla opus est mutatione. Per se enim intellegitur e balneis profluere dulcem aquam neque in repetitione vocis ‚terra' offendendum esse adnotavere cum Handius[2]) tum Grossius.[3]) Atque necessario opponitur aqua *e terra* exundans mari. *nympha* inde a Barthio vulgo corrumpunt in ‚lympha', quanquam Gronovius (diatr. I p. 178) traditam lectionem recte defendit: cl. I 3,37: emissas per cuncta cubilia nymphas. III 1,101 clausisti calidas gemina testudine nymphas. Mart. VI 43,2: canaque sulphureis nympha natatur aquis. id. VI 47,1; cf. Friedländer ad Mart. spect. 12,1 (vol. I p. 149). Alex. Aetol. ap. Parth. 14: *αὐτὸς* (scil. *ὁ γαυλὸς*)*δ' ἐς νύμφας ᾤχετ' ἐφυδριάδας* — dulcis aqua (cf. I 3, 68 sq) nimirum ea est quae e thermis defluit. Vel hinc cognoscitur errare Belochium (l. l. p. 271), cum de balneis marinis verba facit.

---

[1]) quaestiones Statianae IV. progr. Inowraclaw 1890 p. 6.
[2]) in edit. p. 269.
[3]) observatorum in Statii silvis specimen. diss. Berol. 1861. p. 11. cf. etiam H. Müller l. l. p. 12.

19. *levis hic Phorci chorus udaque crines Cymodoce viridisque cupit Galatea lavari:* summa laus balnei alicuius est, si vel numina ibi cupiunt lavare corpora cf. I 5, 56. hic (nempe in Etrusci balneo) velox Hecate velit et deprensa lavari. — *Phorci chorus*: Phorcus vel Phorcys deus ille marinus est, Ponti et Terrae filius: cf. Verg. Aen. V, 240 dixit eumque imis sub fluctibus audiit omnis Nereidum Phorcique chorus etc. Eiusdem libri v. 826. Cymodoce cum eius exercitu commemoratur. Quae inter Nereidas enumeratur apud Hesiodum (theog. 252) cum Galatea (v. 250). De epitheto ‚viridis' cf. e. g. Hosii ad Ausonii Mosellae v. 179 adnotationem[1]) nec non Henricum Müller l. l. p. 46 adn.

21. *ante domum tumidae moderator caerulus undae excubat:* Neptuni templum dicit ante domum fuisse. Sed quaeritur quam hic domum dixerit poeta. Belochius (l. l. p.271) intellexit villam ipsam. At villa in culmine montis sita est, in quam nondum enixi sumus. Ergo in litore versamur. Domus igitur ad solas thermas spectare potest. Quamobrem prope ad oram quin fuerit sacellum illud Neptuni non potest esse dubium, id quod vel sequentibus evincitur. tumida unda dicitur ut tumidum mare: Verg. Aen. III, 157. VIII 671 sim.

22. *huius amico spumant templa salo:* palmaris est Politiani emendatio pro eo quod in libris sine sensu exaratum est: solo. Gevartius vero ‚sale' proposuit.

23. *felicia rura tuetur Alcides; gaudet gemino sub numine portus:* ne Herculis quidem sacrum longe afuit a mari cf. III, 1, 3. 12. 68. 104. — Ceterum rectissime Krohnius monuit, si interpunctionem Baehrensii probamus, versum 25 nihil esse nisi molestam antecedentis sententiae repetitionem. Multo vero fit melior sententia, si cum illo distinguimus; puncto enim posito sententiam priorem absolvit post v. 24, v. 25 cum subsequentibus coniungit. Iam habemus quadruplicem adverbii ‚hic' anaphoram: v. 25. (bis). v. 26. v. 28., figuram Statio tritissimam.[2])

25. *hic servat terras, hic saevis fluctibus obstat mira quies:* recte dictum est quietem terras servare, nam rapidi fluctus terram abluunt. Marklandus quamvis dubitanter pro ‚quies pelagi' ‚fides pelagi' coniecit. Hanc mutationem emendationem esse vix dicere ausim. Probum autem est vocabulum

---

[1]) Die Mosella des Decimus Magnus Ausonius, herausgegeben und erklärt von Dr. Carl Hosius. Marburg 1894 p. 45.

[2]) veram distinctionem exhibet iam ed. Ven. 1494.

‚quies'. Tamen cautius cum Wakefieldio [1]) puto interpungemus ante ‚pelagi' vocem ita ut genetivus ‚pelagi' pendeat ex voce ‚aequora'. Nam saevis fluctibus non bene obstare quietem *maris* optime Marklandus sensit. Atque ‚pelagi aequora' haud aliter dicta sunt atque ‚aequora ponti'. Lucr. I 8. IV 412. Ov. met. II 872. Verg. georg. I 469 vel ‚Oceani aequor' ib. v. 246. vel ‚maris aequor' Verg. Aen. II 780. Hor. carm. IV 5,10.

26. *pelagi ponunt hic lassa furorem aequora:* in placido illo recessu (cf. v. 13) non furunt undae, sed compositae et lenes ad oram allabuntur. insani — austri cf. Ov. met. XII, 510.

28. *hic praeceps minus audet hiems:* rapida procella componitur. Praeceps sat usitatum venti epitheton est: cf. e. g. Ov. her. 10, 30. Stat. Theb. II 194. V 419.

nulloque tumultu stagna modesta iacent dominique imitantia mores: stagna recte editor Venetus interpretatus est. Aequora tam modesta, tam tranquilla sunt, ut stagna videri possint dominique imitantur mores cum placida et tranquilla sint: cf. v. 9.

30. *inde per obliquas erepit porticus arces:* ‚arces' Marklandus interpretatus est ‚rupes' cl. Val. Flacc. III, 565. Atque hanc notionem inesse posse in voce ‚arx' facile concedo. Sed de epitheto ‚obliquus' videamus. Mons obliquus dicitur apud Livium VII, 15: ‚tendere obliquo monte ad castra Gallorum visi sunt.' Consimiliter occurrunt colles obliqui ib. XXXVIII, 22. Sed lenem descensum ibi indicat vox ‚obliquus'. Quae notio cum a Statii loco abhorreat, verissime mihi videtur Krohnius ‚per obliquas artes' proposuisse, qua coniectura toti loco lux affertur. Obliquae enim artes spectant ad viam tortuose serpentem, qualem ascensum fuisse veri est simile. Ad quam rem optime quadrat verbum erependi. Atque mutatio fere nulla est in tanta litterarum c et t imprimis in Matritensi similitudine.

31. *Urbis opus:* veram esse iudico eam interpretationem quam Barthius altero loco proposuit: opus dignum ipsa Roma.

longoque domat saxa aspera dorso cf. III 1, 97: longo tu tramite nudos texisti scopulos fueratque ubi semita tantum, nunc tibi distinctis stat porticus alta columnis, ne sorderet iter.

32. *qua prius obscuro permixti pulvere soles:* Baehrensius hoc loco male cogitavit de ‚obsceno'. Sed probum est

---

[1]) sib. crit. V. p. 32.

‚obscuro' quam vocem recte Beraldus explicavit. Intellege pulverem quo lux solis obscuratur. Adiectivum igitur ‚obscurus' ex more poetis Latinis familiarissimo positum est pro eo quod est ‚obscurum reddens'. Similiter ‚caecus pulvis' dicitur apud Vergilium (Aen. XII 444.)

Hoc libenter concedo Krohnio versus 34, 35 artius coniungi cum v. 31, si traiciuntur v. 32, 33 et v. 34, 35. Tamen non ab omni parte necessariam esse hanc transpositionem iudico propterea, quod in asserendis exemplis ne aliis quidem locis tam anxie poeta perspicuitatem spectavit. Haud enim raro comparationes leniore vinculo conexae sunt cum antecedentibus cf. IV 8, 28 sq. IV 3, 85 sq., de quo loco infra disputabo.

34 *si subeas Ephyres Baccheidos altum culmen*: Baccheis Ephyre est Corinthus. Epitheton addidit poeta eo consilio, ut quam Ephyren intellegi vellet, indicaret. Baccheis autem vocatur Corinthus aut a Baccho aut a Bacchiadis. Ad hos plerique viri docti referunt. Quamquam si formam spectas, ad Bacchum malim referre. Nam etiamsi alibi, quod ego invenerim non occurrit forma ‚Baccheis, ad ‚Baccheus' adiectivum eam esse accommodatam apparet. Atque cum Bacchus Corinthi adolevisse dicatur, minime inepta est haec notio. Sed utut est, Statius Corinthum circumscribit, cuius altum culmen est Acrocorinthus, cf. Theb. VII 106 iam pronis Gradivus equis Ephyraea premebat litora, qua summas caput Acrocorinthus in auras tollit etc.

35. *ab Inoo fert semita tecta lyceo:* vulgo ex Domitii coniectura legitur: Lechaeo. Unus Imhofius[1]) oblocutus est qui ‚Lyaeo' restituendum esse censuit. Tamen interpretatione nos fraudatus est. Nimis enim distare contendit Acrocorinthum a Lechaeo quam ut porticu inter se iuncta fuisse ea loca sit verisimile. Immo ullo modo Lechaeum hoc loco explicari posse nego. Inde enim a Lechaeo usque ad urbem ferebat via intra longos muros. Sed non ducta est usque ad acropolim. Quid autem sit similitudinis inter hanc viam et porticum Polii prorsus non video. Accedit quod minime per obliquas artes erepit via Lechaeo Corinthum. Nulla igitur est comparatio, si Domitio adplaudimus. Contra maxime laudatur a geographis ascensus arcis. Strab. VIII 6, 21 p. 379 ‚triginta stadiorum erat via multifarie curvata.' Quacum optime comparatur ascensus villae Pollianae. Iam restat interpretandum illud: Inoum lyceum. Atque ‚lyceum' gymnasium aliquod significat. Inous

[1]) emendationes Statianae. Halae 1867. p. 10.

esset sic idem atque Corinthius. Quod fieri posse non negaverim. Nam Ino Corinthi divinis colebatur honoribus testibus Tzetza (ad Lycophr. 107) et scholiasta Pindari (hypoth. Isthm. p. 514. Boeckh). Tamen summopere arridet mihi quod Imhofius tutatus est et invenitur in nonnullis libris: Lyaeo. Quod si probatur ad Bacchi illa *ξόανα* referendum est, quae secundum Pausaniam[1]) collocata fuere prope forum urbis. Atque quin hinc ascensus acropolis originem duxerit vix quisquam in dubitationem vocabit. Neque iniuria Bacchus potissimum Inous appellatur, utpote quem educaverit Ino post Semeles mortem cf. II, 1, 98. Tamen certum iudicium ferre non ausim: Domitii coniecturam refutavisse sat habeo.

36. *non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes:* in Helicone fontes duos esse, Aganippen et Hippocrenen, ex quibus poetae haurire dicuntur — Musis enim sunt dicati — inter omnes constat. Conferas sis ad totam sententiam: I, 4, 25. Aus. Mos. 446. Aganippen et Hippocrenen fortasse significat Iuvenalis quoque: sat. 7, 59. cf. Prop. IV (V) 6, 4. Claud. epist. ad Ser. 61. Lundstroem[2]) ad V, 5, 2. — cunctos amnes sibi Helicona vult indulgere, nam est ex eis qui totam soleant haurire Aganippen (Aus. l. l.) vel qui siccent sacram largo Permessida ore (Mart. VIII, 70, 3); confer etiam I 2, 259: sociam doctis haurimus ab amnibus undam.

37. *et superet Piplea sitim:* cf. I 4, 26: — — — Piplea sitim. — Piplea fons est prope Olympum situs. cf. Hesych. s. v.: *Πίπλειαι αἱ Μοῦσαι ἐν τῷ Μακεδονικῷ Ὀλύμπῳ ἀπὸ κρήνης Πιπλείας.*[3]) — Utroque Statii loco forma ‚Piplea' in Matritensi legitur quam ob rem hanc lectionem retinui. Si Piplea sitim superat plus praebet quam ipse poeta voluit. Sic recte explicavit Barthius neque quicquam contra faciunt hariolationes Cruceanae. (diatr. II p. 28.)

largeque volantis ungula sedet equi: ‚sedet' exaratum est in Matritensi. Retinuit hanc lectionem Domitius supplevitque ex enuntiato antecedente: sitim. Atque sitim sedare usitatissima est locutio cf. Lucr. II 664. IV 847. Ov. met. III 415 al. Sed recte mihi videtur Gronovius diatr. I p. 187.

---

1) II 2, 6: *ἔστιν οὖν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς — ἐνταῦθα γὰρ πλεῖστά ἐστι τῶν ἱερῶν — Ἄρτεμίς τε ἐπίκλησιν Ἐφεσία καὶ Διονύσου ξόανα ἐπίχρυσα πλὴν τῶν προσώπων· τὰ δὲ πρόσωπα ἀλοιφῇ σφισιν ἐρυθρᾷ κεκόσμηται, Λύσιον δὲ, τὸν δὲ Βάκχειον ὀνομάζουσιν.*

2) quaestiones Papinianae, diss. Upsaliens. 1893. p. 36.

3) nisi glossa lacunosa est, transponenda sunt verba sic: *αἱ Μοῦσαι ἀπὸ κρήνης Πιπλείας ἐν τῷ Μακεδονικῷ Ὀλύμπῳ.*

contendisse gradationem sic fieri ad minus. Necessario igitur legi divisa voce ‚se det'. Quam lectionem iterum defendit contradicente Cruceo. Quem autem fontem indicet poeta haud difficile est dictu. Gronovius quidem Hippocrenen intellexit. Sed si silv. II 7, 2. (quisquis collibus Isthmiae Diones docto pectora concitatus oestro, pendentis bibit ungulae liquorem) et Theb. IV 60. (vatum qua [h. e. Corinthi] conscius amnis Gorgoneo percussus equo) comparaverimus, Pirenen opinor et hoc loco poetam dixisse censebimus, quae et ipsa Musis sacra fuit. Nam Statius Pirenen fontem qui est Acrocorinthi nascentem finxit ex ictu ungulae Pegasi. Alii velut Ov. met. V 255 sq. schol. Pers. prol. 1. Anton. Lib. 9. idem de Hippocrene fonte narrant.

38. *reseretque arcana pudicos Phemonoe fontes*: Phemonoe Apollinis antistes Delphica: cf. Luc. V, 126. 185. arcana dicitur, quia eam ‚arcani praefecit hiatibus antri Delius' (silv. V, 1, 114.) h. e. quia oracula pronuntiabat. Pudicos vero fontes Castalios intellege; pudici dicuntur et a nomine *Cast*alius et quod inde se lustrabant fiebantque ἁγνοί.

39. *vel quos meus auspice Phoebo altius immersa turbavit Pollius urna*: turbavit Pollius fontes nimirum eo quod inde hausit. Quod vero altius aquam dicitur turbasse, hoc certe voluit poeta: altius penetravit in Musarum artes.

41. *innumeras valeam species cultusque locorum Pieriis aequare modis:* adiectivum ‚innumerus' ex eis est quae frequentissime obviam fiunt in silvis cf. Kerckhoff l. l. p. 53. Ad species cultusque cf. I 6, 29. III 5, 89. Aus. Mos. 18. ‚species' ad naturalem loci amoenitatem spectat, ‚cultus' ad ea quibus arte humana exornatur locus. cf. I 3, 15: ‚quae forma beatis ante[1]) manus artemque locis?' ubi forma idem valet atque species, manus et ars idem atque cultus. Vel ex accurata huius locutionis interpretatione cognoscitur falsam esse Schwartzii[2]) coniecturam qui I 5, 43: ‚in species cultusque' scribendum censuit. Aliis etiam rationibus impugnavit hanc lectionem Müllerus l l. p. 30 sq. — *Pieriis aequare modis* significat digne celebrare. Nam Pierii modi sunt carmina. Et hoc adjectivum Statio adamatum est. ‚Pieriis modis' eadem atque hoc loco versus sede occurrit apud Horatium in arte poet. v. 405.

---

[1]) sic ex egregia Sandstroemii (studia critica in P. Papinium Statium. Upsala 1878 p. 12) et Ottonis (l. l. p. 369) coniectura. cod: arte.

[2]) coniectanea, ind. lect. Rostoch. 1889 p. 8.

42. *vix ordine longo suffecere oculi:* cf. IV 2, 30: fessis vix culmina prendas visibus.

43. *vix, dum per singula ducor, suffecere gradus:* lepidissime poeta Pollium fingit monstrantem sibi pulchritudines et amoenitates villae, id quod elegantem Barthii sensum non praeteriit. Atque adeo longa est ambulatio, adeo sunt multa lumina atque ornamenta, ut poeta fatigetur ambulando et videndo.

44. *quae rerum turba!:* optime vocem ‚turba' usurpavit poeta: tot amoenitates sunt, ut animus turbari fere possit.

locine ingenium an domini mirer prius? ingenium loci est natura; quae notio illi voci haud raro subest: cf. I 3, 15. Verg. georg. II 177. Ov. trist. V 10, 18. met. III 158. Sil. It. II 91. XIV 283. Rutil. Namat. I 328.

45. *haec domus ortus aspicit et Phoebi tenerum iubar:* Marklandus nube exemplorum contracta suam coniecturam nobis obtrudere voluit. Scribendum enim censuit: prospicit. Tamen haec sententia quin sit reicula nullus dubito. Occurrit enim similiter atque hoc loco verbum aspiciendi etiam apud alios auctores: Colum. VIII 8, 2: sed in edito fieri tabulatum oportet quod aspiciat hibernum meridiem. Tac. Germ. 5. <Germania> ventosior qua Noricum et Pannoniam aspicit. Plin ep. V 6, 29.

46. *illa cadentem detinet exactamque negat dimittere lucem:* cadentem Phoebum h. e. occidentem. cf. Verg. Aen. IV 480. Ov. met. IV, 627. XI, 594 al. exactam lucem: peractum diem: Claud. laus Ser. 52: tu <nempe Hispania> fessos exacta luce iugales proluis etc. — negat inf.: recusat quae locutio Statio familiarissima est: cf. I 2, 139. I 5, 63. Theb. III 572. V 233 al. [1]) Ad totam sententiam velim conferas: Plin. ep. II 17, 6: huius a laeva retractius paulo cubiculum est amplum, deinde aliud minus, quod altera fenestra admittit orientem, occidentem altera retinet. Apoll. Sid. carm. 22, 154 <porticus> ipsa diem natum cernit sinuamine dextro, fronte videns medium, laveo visura cadentem.

48. *cum iam fessa dies et in aequora montis opaci umbra cadit vitreoque natant praetoria ponto:* maximi hic locus est momenti. Pendet enim ex eo quidquid de situ villae statuitur. Agitur autem de significatione vocis ‚umbra.' Quae notio ex ipso Statio videtur esse petenda. Conferendus est imprimis villae Tiburtinae (I 3) v. 18 sq., ubi Kerckhoffius [2])

---

[0]) cf. F. Lohr, de infinitivi apud Statium et Iuvenalem usu. diss. Marburg. 1876. p. 20.

[1]) l. l. p. 47. cf. Leo l. l. p. 17. H. Müller l. l. p. 32.

Statio suum vindicavit: 'fallax responsat imago frondibus et longas eadem fugit umbra per undas.' Quo loco umbra significat arboris imaginem aqua receptam. Eadem notio subesse potest Theb. II 41 sq. Atque sic nostrum locum intellexit Ausonius haud spernendus Statii interpres, qui in Mos. 189 sq. et I 3, 18 sq. et II 2, 48 sq. expressit: 'illa fruenda palam species cum glaucus opaco respondet colli (cf. montis opaci v. 48) fluvius, frondere videntur fluminei latices et palmite consitus amnis. quis color ille vadis, seras cum propulit umbras Hesperus et viridi perfundit monte Mosellam.' Idem igitur etiam II 2, 49 videtur significare vox 'umbra.' Imago autem illa sub vesperum potissimum est dilucida. Atque si quis umbram vulgari notione accipere vult, duas res moneo: et prorsus ei esse abiciendam Belochii (l. l. p. 271 sq.; cf. tab. IX) de situ villae coniecturam — nam si illam significationem in voce umbra inesse statuit, matutina umbra villae in aequora cadit — et sub vesperem admodum tenuem esse umbram atque imaginem praeberi minime claram. De voce praetorium cf. 82. I 3, 25. Mart. X 79, 1. Juv. 1, 75. Suet. Aug. 72, Tib. 39. Calig. 37. et Mommseni disputatiunculam Hermae vol. IV (1870) p. 105 adn. 6. insertam.

50. *haec pelagi clamore fremunt, haec tecta sonoros ignorant fluctus terraeque silentia malunt:* aliae ex villis ad mare prospiciunt, aliae magis recessere ab ora. Errat autem Schaeferus[1]), cum illa tecta ad diversas partes eiusdem domus refert. Diversas enim in una illa villa exstitisse domus discimus ex III 1, 93: nostro qui tot fastigia monti etc. — sonori fluctus dicuntur ut Theb. III 258. Verg. Aen. XII, 159.

52. *his favit natura locis, hic victa colenti cessit:* in Matritensi utrum ante victa 'his' an 'hic' sic exaratum diiudicari nequit: utraque igitur lectio est examinanda. Atque 'his' editor Venetus sic interpretatus est: 'aliis locis natura sponte locum commodum praebuit, in aliis arte domita est.' Sed si hanc lectionem probamus, duplici sensu accipiendum est 'his locis': prior enim enuntiati pars exigit dativum, in altera esset ablativus. Quam ob rem cum optio sit data inter duas lectiones illas, equidem praefero 'hic'. Quo recepto magis perspicua fit oratio.

53. *ignotos docilis mansuevit in usus:* eadem imago a iuvenco vel equo petita paulo infra redit v. 58.

---

[1]) observationes criticae in M. Annaei Lucani Pharsaliam et P. Papinii Statii silvas. diss. Monast. 1886 p. 31.

54. *et lustra fuerunt, quae nunc tecta subis;* sic Matritensis hunc versum exhibet. Marklando vero arrisit lectio nonnullarum editionum quae est ‚haec,' ipse ‚at' scribendum censuit. Neutrum probari potest. Adversativae enim particulae qui locus esse possit in enumeratione vel potius descriptione non video. Ac ne ‚haec' quidem commode explicari posse mihi videtur. An Pollius ex ferarum domiciliis suam villam exstruxit? immo quo loco bestiae habitaverant, eo nunc hominum tecta subeuntur. Quamobrem vide sitne necessarium scribere ‚qua' pro ‚quae'; cf. hic ubi v. 54, ubi hic v. 55. Sed pro certa emendatione illud ‚qua' venditare nolim.

55. *ubi nunc nemora ardua cernis, hic nec terra fuit:* etiam in Vopisci Tiburtino admiratur poeta altam silvam: I 3, 38. nec = ne — quidem: cf. quae Müllerus l. l. p. 14 adn. collegit exempla huius usus. Quibus adde: I 4, 85. II 6, 21 al. De re ipsa cf. v. 98. Verg. Aen. IX 710 sq. Hor. carm II 18, 20. III 1, 33 sq. 24, 3. epist. 11, 83 sq. Sen. epist 89, 20. Rutil Namat. I, 529. Friedländer hist. mor. III[6] p. 91.

57. *formantem rupes expugnantemque secuta gaudet humus:* eadem constructio verbi gaudendi obviam fit I 3,55 sq. quem locum male tentavit Marklandus. Formare rupes quid esset, minime perspexit Beraldus, qui formantem dantem formam domus interpretatus est. Rupes autem formare opponitur τῷ expugnare rupes: ubi rupes erant, eas Pollius removerat, ubi non erant, exstruxerat.

59. *intrantesque domus:* domus saxa occupare dicuntur saxaque quodam modo subeunt domos. Sic iugum discunt.

60. *iam Methymnaei vatis manus et chelys una Thebais et Getici cedat tibi gloria plectri.* Methymnaeus vates est nimirum Arion: cf. Suid. s. v. Ἀρίων Μηθυμναῖος λυρικός κτλ. Mart VIII 51, 15: Methymnaeo gavisus Arione delphin. Ov. fast. II 82. Laudatur autem propter delphinos domitos: cf. Ov. l. l. v. 79 sq. - chelys Thebais significat Amphionem cui canenti saxa obsequebantur ut aiunt ad moenia Thebarum exstruenda. Tritissima fabula poetis: Hor. ars poet. 394 sq. Prop. I 9, 10. Ov. ars III 323. Stat. silv. III 1, 16. 145. III 2, 41. Theb. I 10. II 455. etc. Apoll. Sid. carm 9, 286. 23, 120. Claud. de cons. Stil. II, 170. etc. etc. — Pro ‚una' *illa* Marklandus, *uni* Schraderus coniecere: neuter opinor ‚una' recte accepit. Est enim adverbium, quod Skutschius[1]) nuperrime notavit. — *Getici plectri gloria:* res est omnimodis decantata:

---

[1]) Fleckeiseni ann. CXLVII (1893) p. 829.

Orpheum dicit: cf. Lundstroemii ad V 5, 54 (l. l. p. 54) adnotationem. — cedendi verbum haud raro eadem atque hoc loco notióne legitur apud Statium[1]; cf. e. g. I 1, 84. I 3, 83. II 4, 9. II 7, 75. III 1, 143. III 4, 40. al.

62. *et tu saxa moves et te nemora alta sequuntur:* caute poeta Orpheum ultimum enumeravit. Nam utrumque ad eum quadrat.

63. *quid referam veteres ceraeque aerisque figuras:* ‚quid referam' tritissima praeteritionis formula est, cuius innumera fere exstant exempla: cf. I 3, 64. I 5, 57. II 1, 96. V 3, 246. Ov. am. I 5, 23. II 6, 43. III 6, 33. III 11, 21. III 12, 35. ars I 255. 282. trist. II 433. ex Pont. I 3, 81. fast. V 227 al. — illas cerae figuras ad Apellem spectare necesse est. Neque igitur sunt imagines ad mortui faciem expressae, sed tabulae pictae. Signorum autem tabularumque refertos fuisse nobilium hominum illis temporibus hortos et villas satis multa exstant testimonia: cf. Cic. de leg. III 13, 31. de orat. I 35, 161. in Verr. act. sec. I 23, 61. Plin. ep. III 7, 8 al. cerae figurae significant tabulas encaustice pictas, quam artem Statius docte describit Ach. I, 332. cf. III 1, 95: ubi Herculem laudi Pollio tribuentem facit quod ‚tot saxa imitantia vultus aeraque, tot scripto viventes lumine ceras' fixit. Cum autem in hortorum descriptione versemur, ibi illas statuas et tabulas collocatas fuisse verisimile est. Quanquam tabulas sub divo fuisse haud crediderim: in porticibus suspendi solebant. In atrio eas fuisse cur Veenhusius statuerit non liquet.

64. *si quid Apellei gaudent animasse colores:* gaudent animasse idem valet atque animaverunt: cf. Markland ad I 3, 57. Kerckhoff l. l. p. 50. de verbo animandi inspicias eiusdem libellum p. 48. Apellei colores: ut ‚Apelleo vultus signata colore' (V 1, 5). cf. I 1, 100: ‚Apelleae cuperent te scribere cerae' IV, 6, 29.

65. *si quid adhuc vacua, tamen admirabile, Pisa Phidiacae rasere manus:* recte iam interpretati sunt haec verba veteres editores, e. g. Barthius: si quid, quanquam adhuc vacua Pisa h. e. nondum facto illo admirando Iovis Olympii simulacro, tamen admirabile Phidias finxit. Nostra vero aetate Ottoni (l. l. p. 533.) et Schwartzio (l. l. p. 7) locus erat defendendus a violentissima coniectura Marklandi, qui cum poetae verba non intellegeret, ‚si quid Olympiaca famae admirabile Pisa etc.' legendum putavit. Quae coniectura sensum totius

[1]) cf. Kerckhoff l. l. p. 47.

loci corrumpit. Existimabant enim veteres egregios illos colossos maturiore vitae aevo ab artificibus esse excogitatos: primum eos lusisse in aere minori: cf. I 3, 48 sq. Atque revera sub Phidiae nomine opera minutissimae artis circumferebantur teste Martiale IV 39, 1. Iovem autem Olympium provectiore aetate fecit artifex: cf. Overbeck, Geschichte der griechischen Plastik I[4] p. 344. — Ad totum locum conferas IV 6, 25 sq. Apoll. Sid. carm. 23, 502 sq.

68. *aeraque ab Isthmiacis auro potiora favillis:* Isthmiacae favillae spectant ad Corinthum a Mummio deletam et incensam. Nam Isthmiacus idem significat atque Corinthius cf. II 7, 2. Isthmia Dione est Venus, cui Acrocorinthi templum est. Certe erravit Barthius cum signa intellegere quae post incendium superfuerunt. Immo quae e famoso illo aere Corinthio facta sunt, quod pluris aestimabatur quam ipsum aurum: inde illud ‚auro potiora'. cf. Paus. II 3, 3. *κεκόσμηται δὲ ἡ πηγὴ* (scil. *ἡ Πειρήνη*) *λίθῳ λευκῷ καὶ πεποιημένα ἐστὶν οἰκήματα σπηλαίοις κατὰ ταὐτά, ἐξ ὧν τὸ ὕδωρ ἐς κρήνην ὕπαιθρον ῥεῖ, πιεῖν τε ἡδὺ καὶ τὸν Κορίνθιον χαλκὸν διάπυρον καὶ θερμὸν ὄντα ὑπὸ ὕδατος τούτου βάπτεσθαι λέγουσιν, ἐπεὶ χαλκός γε οὐκ ἔστι Κορινθίοις.* Praeterea adeas imprimis Plin. h. n. XXXIV, 5 et Flor. II, 16, quos exscribere longum est. Augustus Tiberiusque praecupidi erant vasorum Corinthiorum: Suet. Aug. 70. Tib. 34. Quanti fuerit aestimatum etiam testes sunt: Cic. pro S. Rosc. 133. parad. 13. 36. Verg. Georg. II 494. Ov. met. IV 416. Mart. IX 59, 11 al. cf. Marquardt, l. l. p. 668.

69. *ora ducum ac vatum sapientumque ora priorum:* haud scio an optime poetae verba illustrentur eis quae de Hadriani villa Tiburtina exposuit Hermannus Winnefeld[1]); qui p. 143 sq. statuas philosophorum oratorum poetarum eorum qui administranda re publica laudem quaesierunt, repertas in illa villa enumeravit.

70. *quos toto pectore sentis*: quasi imbibisti; sentire hoc loco fere synonymum est verbo intellegendi, de qua notione, etiamsi locum prorsus similem non inveni, non potest dubitari. — Similis exitus versus obviam est Ov. met X, 443: infelix non toto pectore sentit laetitiam virgo.

71. *expers curarum atque animum virtute quieta compositus semperque tuus:* insuavis vocis ‚cura' repetitio adeo

[1]) Die Villa des Hadrian bei Tivoli. Jahrb. d. kais. deutsch. arch. Inst. 1895. 3. Ergänzungsheft.

Marklando displicuit, ut ‚turbarum' pro ‚curarum' ederet. Sed neque talis repetitio abhorret a Statii genere dicendi id quod pluribus persecuti sunt Handius et Grossius [1]) neque hoc potissimum loco ita molesta est, cum alia significatione redeat vox ‚cura'. E re autem nullam offensionis ansam peti posse manifestum est. Immo aptissime dicitur Epicureum illum esse expertem curarum h. e. securum cf. v. 125, 143. — ‚animum compositus' dicitur, quoniam philosophia animum componit (Sen. epist. 89, 8). deinde illud ‚semper tuus' multum torsit interpretes, ubi simplicissimum est. Certissimum enim est subesse hanc notionem: nunquam irae vel aliis animi motibus occumbens, ut recte Barthius intellexit. Idem fere est atque *ἀτάρακτος*.

73. *quid mille revolvam culmina visendique vices:* hic vituperandus est poeta quod non ab omni parte perspicue rem tractavit. Sequentibus enim versibus describitur prospectus qui est ex fenestris ipsius villae. Ante hunc vero locum quae in hortis sunt explanantur: medium interpositum est hoc enuntiatum: quid mille revolvam culmina visendique vices. Nescimus autem quid sint illa culmina. Sed si simpliciter velis interpretari: montes vel colles explicabis, et visendi vices: quam multa sunt quae inspiciam! Transcurrit autem poeta post haec verba ad prospectus descriptionem. Quare vide sitne melius ponenda gravis distinctio post vocem: voluptas. Sic duas sententias rotundas et absolutas habebimus. Quod autem abrupta admodum fit transitio: minime contra Statii usum est. Eadem res est I 3, 70, ubi cum lacunam statuit Müllerus l. l. p. 45, iniuria hoc fecit: non is est poeta qui singula periegetae instar fuse exponat.

74. *atque omni proprium thalam omare:* ex uno quoque conclavi certa aliqua pars maris conspicitur.

transque iacentem Nerea diversis servit sua terra fenestris: sua terra respondet cuique fenestrae, sicut proprium cuique mare. Ad serviendi verbum cf. Plin. epist. V 6, 23: ‚aliis fenestris xystum, aliis dispicit pratum (scil. porticus), sed ante piscinam quae fenestris servit ac subiacet, strepitu visuque iucundam'. *iacens Nereus* est compositum mare atque tranquillum. Comparavit Barthius Luc. III, 523: ‚posito borea pacemque tenentibus austris servatum bello iacuit mare'.

76. *haec videt Inarimen:* Inarime insula ex adverso promunturii Miseni sita est; hodie Ischia vocatur. cf. Plin. h. n.

[1]) cf. supra p. 20 adn. 2. et 3.

III 82: ‚Aenaria ipsa a statione navium Aeneae, Homero Inarime dicta (B 783: *εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς*), Pithecusa [1]) non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere [2]) sed a figulinis doliorum'. Poetae Latini ferme utuntur nomine Inarimes: cf. Theb. X 917. Verg. Aen. IX 716. Ov. met. XIV, 89. Luc. V, 101. Val. Flacc. III 208. Sil. It. VIII, 541. XII, 148, etc.

illinc Prochyta aspera paret: minime necessaria est Domitii coniectura ‚illi'. Variationem enim adamat Statius in enumerationibus. Prochyta est insula inter Pithecusas et Misenum sita, quae nunc audit: Procida. Nata esse putabatur provolutis ex insula Aenaria vel a Miseno promunturio montibus, unde nomen quoque traxisse ferebatur. cf. Strab. I 3, 19, p. 60. IV 1, 6, p. 258. Plin. h. n. II 203. III 82. Serv. ad Verg. Aen. IX, 715. — *aspera* vocatur prosper scopulos praecipites. cf. Verg. Aen. IX 715: ‚tum sonitu Prochyta *alta* tremit.' cf. Ov. met. XIV 89. Sil. It. VIII 542. *paret* idem valet quod: ‚apparet' sicut e. g. apud. Mart. XII 29, 18. cf. Sil. XII 147: ‚apparet. Prochyte, saevum sortita Mimanta, apparet procul Inarime etc.' Frustra hoc verbum in suspicionem vocavit Queckius qui ‚patet' substituere voluit, ut assolet, contra metrum. cf. Imhof, de silvarum Statianarum condicione critica. progr. Halae 1859. p. 44.

77. *armiger hac magni patet Hectoris:* promunturium Misenum dicit, in quo Misenus, Hectoris quondam armiger, dein Aeneae socius sepultus esse perhibebatur. cf. Verg. Aen. VI 162 sq. Sil. It. XII 155. Haud raro Statius huius fabulae mentionem facit: cf. III 1, 150. IV 7, 19. V 3, 167. pro ‚hac' ‚hinc' Marklandus proposuit praeter necessitatem; optime enim ‚hac' se habet.

inde malignum aera respirat pelago circumflua Nesis: Nesis insula opposita est Pausilypo (hodie: Nisita) cf. III 1, 148. ‚silvaque quae fixam pelago Nesida coronat'. Quod malignum aera respirare dicitur: cf. Luc. VI, 90 sq. ‚tali spiramine Nesis emittit Stygium nebulosis aera saxis antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant'. cf. Beloch. l. l. p. 87. *pelago circumflua:* cf. V 2, 137: ‚undoso circumflua coniuge Peuce'.

---

[1]) an sic distinguenda sunt verba: ‚Homero Inarime, dicta Pithecusa etc.' ne Pithecusam ab Aenaria separare videatur Plinius. Quamquam cf. Ov. met. XIV 90. Mela II 7, 18.

[2]) cf. Strab. XIII 4, 1. p. 626.

79. *inde vagis omen felix Euploea carinis:* Queckius quod traditum est: *Euboea* defendit, (p. XV.) Intellegit autem Cumas, cuius oppidi in constituto huius descriptionis ordine omnino locus non est. Accedit quod ex ora Surrentina nullo modo potest conspici. Refellere longius hanc sententiam non opus est: inter sanos homines constat Statium scripsisse: ‚Euploea' vel propter illud ‚omen felix — carinis' cl. III 1, 149. Plerique interpretes hoc nomen ad insulam aliquam rettulerunt, quam sibi finxerunt, nisi quis forte ignibus subterraneis eam haustam esse statuit. Verum Morellum vidisse in propatulo est, qui Veneris Euploeae templum intellegendum esse censuit; cf. Beloch l. l. p. 83. Hodie haud procul abest Sanctae Luciae sacellum, quae et ipsa navigantibus favet.

80. *quaeque ferit curvos exserta Megalia fluctus*: Beloch l. l. p. 81 Megaliam significari censet insulam Megarida (castel del uovo), quae ante Neapolim sita est. Atque a Phoenicibus rectissime videtur contendisse occupatam esse vel propter illa nomina: eadem enim fere diversitas nominum in Carthaginiensium Neapoli. Hanc insulam Plinius (III 82) commemoravit esse inter Pausilypon et Neapolim. Iam verba poetae contemplemur. *exserta* dicitur insula: tenuis est et in longitudinem extenta secundum Belochium. Ergo ‚exsertus' idem est atque ‚eminens'. Vocem ‚*ferit*' Marklandus corruptam esse iudicat: feriri Megaliam fluctibus rectissime contendit. Sed quod proposuit, minime placet. Coniecit enim ‚premit' cl. Rutil. Namat. I 316: ‚tenditur in medias mons Argentarius undas ancipitique iugo caerula curva premit'. Poetae autem manum restituisse mihi videtur Heinsius: qui ‚terit' proposuit. — *curvos fluctus*: cf. curvum aequor Ov. met. XI 505. Luc. V 549. curva freta Val. Flacc. I 615. Stat. Theb. II 381. V 374. XI 437. Rutil. Namat. l. l. (ubi Zumptius prave explicavit vocem ‚curva'). — Post v. 80 gravius interpungendum esse manifestum est. Alias enim cum Baehrensio v. 81 traditam lectionem spernere necesse est. Contra si sequentia non tam arte coniunguntur cum eis quae antecedunt, nihil iam exsistit dubitationis.

81. *angitur et domino contra recubante proculque Surrentina tuus spectat praetoria Limon*: verissimum de hoc loco tulit iudicium Müllerus (l. l. p. 36), qui ullam litteram esse mutandam negat atque pernegat. Ac profecto nil sanius his verbis. Neque quod subiectum in secundo enuntiato collocatur, est cur miremur. Saepissime enim hoc apud Statium occurrit, unum profero exemplum I 3, 50, quem locum Wachsmuthius

sic correxit: ‚quidquid in argento primum vel in aere minori lusit et ingenti manus est experta colosso'. Atque tota sententia quam maxime ad Statii genus dicendi quadrat. Limon angitur domino recubante in Surrentinis praetoriis et cum desiderio trans mare prospicit quasi Surrentino praedio dominum invideat. Compara simillimam sententiam I 3, 4: ‚certantisque sibi dominum defendere villas'. — Formam autem ‚Limon' recte Domitius revocavit cl. III 1, 149, in libris enim exaratum est: liman h. e. limom-limō. Est Graeca vox *Λειμών*: nomen praedii alicuius Pollii nostri; cf. Beloch l. l. p. 83. Abhinc quatuordecim fere annos intra Neapolim et Puteolos titulus apparuit, in quo huius villae mentio fit[1]). Commemoratur enim *villa Pollii Felicis quae est epilimones*, quam vocem rectissime Mommsenus ad Limona rettulit. Circiter viginti quinque annos ante Statii carmen lapidem illum scriptum esse ille statuit. Unde conclusit fortasse Pollii patris villam dici. Sed cum senex fuerit Pollius eo tempore quo Statius hanc eclogam pepigit, haud scio an ad ipsum nostrum Pollium possit referri ille titulus. cf. v. 133 sq. — In verbo spectandi intensiva notio inest sicut in verbo circumspiciendi I 3, 33. cf. Müllerum l. l.

83. *una tamen cunctis procul eminet una diaetis:* multum operae in hoc versu viri docti perdiderunt, cum sana studerunt emendare. Haesere autem plerique in iteratione vocis ‚una', in qua nulla vera offensio posita est. Neque enim est cur spernamus figuram illam anaphorae, qua aliquid praedicatur et quodammodo eximitur ex cetera enumerationis serie. Atque hoc artificio vividum aliquem et alacrem colorem sermoni poeta aliis quoque locis dedit, ex quo numero hosce promam: II 6, 8: *famulum* (quoniam rerum omnia caeca sic miscet Fortuna manu nec pectora novit), sed *famulum* gemis etc. ib. 13 sq.[2]): deisque si tam dura placent, *hominem* gemis (ei mihi! subdo ipse faces) *hominem* etc. III 5, 22 sq.: etenim *tua* (nempe benigna quam mihi sorte Venus iunctam florentibus annis servat et in senium) *tua*, quae — fixisti, *tua* frena libens docilisque recepi. ib. 62: sed *venient*, plenis *venient* conubia taedis. II 3, 9: ille quidem *it*, cunctas tanquam velit, *it* tamen unam in Pholoen. Theb. II 620: *unusne* viri tot caedibus *unus* ibit ovans Argos? Sil. It. XVI 73: ecce trahebatur *lucem*que — heu dulcia caeli

[1]) cf. Mommsen, Herm. XVIII (1882) p. 157. nomen est mirum. An voluit lapidarius ἐπὶ Λειμῶνος?

[2]) quem locum male tentavere viri docti; mente addas ante verba *hominem gemis:* ‚scito.'

lumina — captivus *lucem* inter vincla petebat. cf. etiam silv. IV 6, 36. V 5, 69. V 1, 237. al. Sed praeterea Marklandus latinitatem postulare dicit ‚ante cunctas eminet' pro ‚cunctis eminet'. Burmannus ei oblocutus ‚procul cunctis' iungendum esse affirmat. Separata a reliquis membra domus dicere poetam. Quae sententia quominus mihi probetur, maxime illud impedit, quod ex sequentibus dilucide cognoscitur non prominente situ excellere diaetam illam, sed aestimatione domini. Hac igitur via nihil exsecuti sumus. Sed eminendi verbum cum dativo coniungitur, quanquam Marklandus negavit sic inveniri: cf. Ach. I 58: ‚placidis ipse arduus undis eminet'. *procul* significat ‚multo, longe': cf. Vollmeri ad II 6, 34 adnotationem.[1]) ‚procul eminere' dicitur etiam Theb. IV 221: ‚procul ipse gravi metuendis in hasta eminet etc.' Restat ut paucis de voce ‚*diaeta*' agamus. Significat autem locum ubi homines habitant. Quam ob rem modo unum, modo complura conclavia notat. Locos Plinianos ex epistulis examinavit Hermannus Winnefeld[2]): ad unum conclave sicut nostro loco spectat: II 17, 12. 15. Dubia est notio: VII 5, 1.

84. *quae tibi Parthenopen derecto limite ponti ingerit*: ex qua directa trans mare linea prospicis Neapolim. derecto limite cf. *in directo* Varr. de ling. Lat. VII 2, 83, *per directum* Plin. h. n. V 80. sim.

85. *hic Grais penitus delecta metallis saxa*: pro eo quod in libris exstat: *delecta* Avantius ‚desecta' coniecit, commotus ni fallor loco simillimo: I 5, 36: ‚flavis Nomadum *decisa* metallis — area'; plerosque autem viros doctos habuit sectatores. Sed obiter tantum contulit illos locos neque quid interesset animadvertit. Nam si ‚penitus Grais desecta metallis saxa' dicuntur, de eis tantummodo generibus marmorum cogitare licet, quae non in lapicidinis gignuntur, sed sub terra sparsa sunt: cf. Plin. h. n. XXXVI 55. Quod tamen ex eis quae sequentibus versibus enumerantur, de solo Lacedaemonio lapide valet. Abicienda igitur est illa coniectura traditaque lectio revocanda. Atque ‚delecta' optime quadrat: et genere et forma accurate delectae sunt areae, quae in illa diaeta usurpatae sunt. Metalla autem pro lapicidinis dici notum est: cf. e. g. I 5, 36. III 1, 5. IV 3, 99. al.

86. *quod Eoae respergit vena Syenes*: eiusdem marmoris mentionem facit poeta in Palatio Domitiani describendo: IV

---

1) Fleckeiseni ann. CXLVII (1893) p. 830.
2) Jahrb. d. kais. deutsch. arch. Inst. VI p. 207 adn.

2, 27. cf. Plin. h. n. XXXVI 63: ‚circa Syenen vero Thebaidos syenites quem antea pyrrhopoecilon vocabant'. Coloris igitur est rubri: cf. Apoll. Sid. carm. 11, 18: Aethiopus — purpureus ib. 22, 141. Luc. X 116. Quod Statius respergendi verbo de hoc lapide utitur, haud scio an ad maculas aliquas sit referendum. Maculas autem scimus inesse in Augusteo et Tibereo marmoribus, quod genus haud diversum esse a syenite coniecit Marquardtus (l. l. p. 603. adn. 11). Num recte hoc statuerit, videant alii. Denique quod *Eoa Syene* appellatur, conferas velim: Theb. VI 704: ‚sic ubi se magnis refluus suppressit in antris Nilus et Eoae liquentia pabula brumae ore premit etc.' VIII 359: ‚qualis ubi aversi secretus pabula caeli Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas'. Fusius illud epitheton expressit Apoll. Sid. carm. 5, 34: <saxa> ‚quae caesa rubenti Aethiopum de monte cadunt, ubi sole propinqua nativa exustas afflavit purpura rupes'.

87. *Synnade quod maesta Phrygiae fodere secures per Cybeles lugentis agros:* marmor Synnadicum significatur quod hodie ‚pavonazzetto' appellatur. cf. Strab. XII, 8, 14 p. 577. *Σύνναδα δ'ἐστὶν οὐ μεγάλη πόλις. πρόκειται δ'αὐτῆς ἐλαιόφυτον πεδίον ὅσον ἑξήκοντα σταδίων. ἐπέκεινα δ'ἐστὶ Δοκιμία κώμη καὶ τὸ λατόμιον Συνναδικοῦ λίθου — οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δ'ἐπιχώριοι Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαῖον — κατ' ἀρχὰς μὲν μικροὺς βώλους ἐκδιδόντος τοῦ μετάλλου, διὰ δὲ τὴν νυνὶ πολυτέλειαν τῶν Ῥωμαίων κίονες ἐξαιροῦνται μονόλιθοι μεγάλοι κτλ.* Synnadicus lapis maxime aestimabatur inde ab Augusti temporibus — id quod vel ex Strabone concludere licet — cuius rei luculentum testimonium est, quod nullum marmoris genus saepius commemoratur apud poetas Latinos quam Synnadicum: cf. Hor. carm. III 1, 41. Lygd. 3, 13. Ov. her. 15, 142. Sen. epist. 86, 6. Stat. silv. I 5, 38. I 2, 148. IV 2, 27. Mart. VI 42, 13. IX 75. Aus. Mos. 48. Claud. in Eutr. II 273. Apoll. Sid. carm. 5, 37. 11; 18. 22, 138. Coloris esse id genus candidi ex sequentibus verbis cognoscitur nec non ex I 5, 39. Sed habet lineas et maculas purpureas, unde ‚maculosus' vocatur apud Apoll. Sid. carm. 11, 18. — Cybeles autem lugentis agri spectant ad totam Phrygiam. Luget dea nimirum de Attidis morte; inde etiam Synnas maesta dicitur: apte contulit Burmannus IV 3, 37. Item cum Attide coniungitur ille lapis I 5, 38, de quo loco verba non facerem nisi Müllerus (l. l. p. 28) nuperrime perperam librorum lectionem defendisset. Quod enim I 3, 36 affert, plane nihil facit ad rem: de Synnadico marmore ibi

verba fieri unde scimus? Rem acu tetigit Marklandus qui praeeunte Politiano ‚liventibus' edidit cl. Apoll. Sid. carm. 22, 137.

88. *ubi marmore picto candida purpureo distinguitur area gyro* cf. Plin. h. n. XXXV 3: ‚coepimus et lapide pingere. Hoc Claudii principatu inventum, Neronis vero maculas quae non essent in crustis inserendo unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus qualiter illos nasci optassent deliciae'. silv. I 3, 36: ‚an picturata lucentia marmora vena mirer?' Apoll. Sid. epist. II 2, 7: ‚neque per scopulos Aethiopicos et abrupta purpurea genuino fucata conchylio sparsum mihi saxa furfurem mentiuntur'. Claud. in Eutr. II 273 ‚<Phrygia> pretiosa . . picto marmore purpureis, caedit quod Synnada, venis.

90. *hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi quod viret et molles imitatur rupibus herbas*: indicatur hisce verbis marmor Lacedaemonium cf. Bursian, Geogr. v. Griech. II p. 106. Strab. VIII 5, 7. p. 367: εἰσὶ δὲ λατομίαι λίθου πολυτελοῦς τοῦ μὲν Ταιναρίου ἐν Ταινάρῳ παλαιαί, νεωστὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Ταϋγέτῳ μέταλλον ἀνέῳξάν τινες εὐμεγεθές, χορηγὸν ἔχοντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πολυτέλειαν. Plin. h. n. XXXVI 55: non omnia autem <marmorum genera> in lapicidinis gignuntur, sed multa et sub terra sparsa, pretiosissimi quidem generis, sicut Lacedaemonium viride cunctisque hilarius etc. cf. Stat. silv. I 2, 148. 5, 40. Mart. VI 42, 11. IX 75, 9. Lygd. 3, 13. Apoll. Sid. carm. 5, 41. 11, 18. 22, 139. Colorem igitur habet viridem ille lapis, hodie nomen ei: serpentino: Marquardt l. l. p. 603. Herbas imitatur, unde Apoll. Sid. herbosum illud marmor vocat. cf. Bitschofsky, de Apollinaris Sidonii studiis Statianis 1881. p. 30 sq. *Amyclaeus* Lycurgus audit, ut a Thracio rege distinguatur. Atque Taygetus *mons Lycurgi* est ut IV 8, 52 dicitur: horrenda Lycurgi Taygeta.

92. *hic Nomadum lucent flaventia saxa*: fulvo colore est Numidicum marmor, quod haud scio an possit non melius describi quam Apollinaris Sidonii verbis (carm. 5, 37): ‚Nomadum lapis — antiquum mentitus ebur'. Compara Italorum nomen: ‚giallo antico'. ‚Eburnus' apud eundem poetam vocatur: carm. 11, 19. ‚Nomadum qui portat eburnea saxa collis' (carm. 22, 138.) Stat. silv. I 5, 36: ‚sola nitet flavis Nomadum decisa metallis purpura'. IV 2, 28. Mart. VI 42, 12. IX 75, 8. Hor. carm. II 18, 4. Sen. epist. 86, 6. Plin. h. n. XXXV 3, XXXVI 48. Idem genus significat: mons Libys vel Libycus vel Poenus.

Thasosque: Thasium marmor quondam raro in aliquo spectaculo templo sua potissimum ab aetate in usu fuisse auctor est Sen. epist. 86, 6. cf. I 5, 34. Plin. XXXVI 44.

93. *et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos:* de Chio lapide cf. IV 2, 28. Plin. h. n. V 136. Altera parte versus subiudicari marmor Carystium sole clarius est. Sed quomodo illud ‚spectare' sit vel explicandum vel si corruptum est, emendandum maxime ambigitur. Atque vulgatam interpretationem denuo protulit Bitschofskyus[1]), qui ad speciem et colorem lapidis verbum illud referendum esse censuit. Refutatus autem est a Müllero (l. l. p. 24), qui eius explicationem nullo modo ferri posse certa ratione demonstravit. Tamen ipse in eo erravit quod ad colorem spectare dicit hunc locum. Bursianus (l. l. II p. 298) enim monuit marmor Carystium (hodie cipollino) candidum esse interspersasque habere venas undarum in modum quasi fluctuantes coloreque virides. Itaque et formam earum et colorem respicere potuit poeta. cf. IV 2, 29: ‚glaucae certantia Dordi saxa': certantia non colore, sed forma illarum linearum. I 2, 148: concolor *alto* vena *mari*. Consimiliter atque hoc loco Mart. Cap. VI 659 (cf. Haupt opusc. III p. 129 sq.) Caryston excellere dicit marmore *fluctibus* concolore. Strab. X 1, 6 p. 446. *Κάρυστος δέ ἐστιν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ· πλησίον δὲ τὰ Στυρὰ καὶ τὸ Μαρμάριον, ἐν ᾧ τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων, ἱερὸν ἔχον Ἀπόλλωνος Μαρμαρίνου, ὅθεν διάπλους εἰς Ἁλὰς τὰς Ἀραφηνίδας.* Stat. Theb. VII 370. Lygd. 3, 13. Luc. V 232. Sen. Troad. 846. Plin. h. n. XXXVI 48. IV 64. Plin. epist. V 6, 36. al. Restat critica quaestio. Spectandi verbum in dubitationem vocavere multi viri docti: defensorem non felicem exstitisse Bitschofskyum supra adnotavimus. Proinde videamus nobisne melius res procedat. Lapicidinas illas famosissimas prope Carystum sitas haud multum a mari afuisse scimus ex Strabonis loco modo allato. Quid igitur mirum si ‚mare spectare' h. e. in mare prospicere (cf. v. 82) dicuntur? Nam ‚gaudens spectare' est ‚spectans'. Atque hanc notionem inesse in hoc loco etiam Baehrensius (praef. ed. p. XIX) concessit: tamen alteram e Salmasii coniecturis recepit in verborum contextum. Solum igitur situm poeta hoc loco indicat: non erat causa cur fuse atque disposite de colore ubique dissereret id quod neque in syenite neque in Chio marmore fecit. Codicum igitur lectionem non sollicitandam esse iudico consentiente Krohnio.

---

[1]) Fleckeiseni ann. CXV (1878) p. 573 sq.

94. *omnia Chalcidicas turres obversa salutant:* apte hoc uno versu redit poeta a singulorum illius diaetae ornamentorum enumeratione ad initium descriptionis et quasi complectitur quae de hoc conclavi exposuit. — *Chalcidicus* idem valet atque Neapolitanus: cf. IV 8, 46. V 3, 226, nam a Chalcidensibus condita esse ferebatur Parthenope: cf. Strab. V 4, 7 p. 246.

Iam eo deducti sumus, ut de situ villae ex Statii carmine nihil accedat quod comperiamus. Quamobrem haud videtur absonum esse de Belochii sententia quae singulis locis adnotavimus complecti eiusque coniecturam in examen vocare. Atque a iusto fundamento eum in universum profectum esse apparet, si modo v. 48 sq. recte sumus interpretati. Tamen in singulis sunt quae egeant correctione. Balnea enim esse vult Pollii ea quae hodie a regina Ioanna nomen ducunt in promunturio Surrentino sita: contra poetae descriptionem hoc statuitur. Nam balnea sunt in placido illo recessu. Deinde Herculis Neptunique templa haud scio an nimium a litore remota esse voluerit ille. De Neptuni templi situ certe erravit perperam intellecto versu 21. Accedit quod si illud fanum ante villam ipsam fuit, prospectus ex ea non erat Neapolim versus. Denique ut de ambitu villae paucis agam: ne hunc quidem recte constituisse videtur. In promunturio Surrentino maximam partem eius fuisse statuit falsa nimirum thermarum collocatione commotus. Immo ipsa illa balnea alius villae fuisse videntur. Contra si occidentem versus praedi fines propagavisset, melius opinor egisset: nomen enim Pollii adhaeret orae etiam nunc: marino di Puolo. Sed certum iudicium ferre ei tantum licet qui suis oculis regionem illam conspexit, quod utinam mihi aliquando contingat!

95. *macte animo quod Graia probas quod Graia frequentas arva:* vix est quod de Gevartii emendatione verba faciam, qui ‚Graia' revocavit pro eo quod in libris est exaratum sine sensu: grata. Idem error obviam fit II 1, 113. III 5, 93. macte animo: cf. III 1, 166[1]). V 2, 97. Theb. VII, 280. silv. I 3, 106. I 5, 63. III 3, 31. V 1, 37 sim.

96. *nec invideant quae te genuere Dicarchi moenia:* Dicaearcheae conditorem nimirum finxit poetae Dicarchum nomine. Certe ab omni probabilitate aliena est Marklandi coniectura qui ‚Dicarchae' Statium scripsisse affirmat: = *Δικαιαρχείας*.

---

[1]) data occasione levem Skutschii errorem corrigere libet. Qui (l. l. p. 832) v. 164 sic constituit: ‚nunc ipse — (scil. Hercules dicit), in limine cerno etc.' Nonne melius sic explicatur locus: ‚nunc ipse in limine <est>, cerno etc.'?

Sed quae similia confert elisionis exempla plane aliter esse comparata primo obtutu patet.

97. *nos docto melius potiemur alumno:* Neapolitani te adsciscemus: cf. v. 135. de voce ‚alumnus’ Statio familiarissima cf. Kerckhoff l. l. p. 51 58.

98. *pontoque novalia dicam iniecta:* cf. quae ad v. 56. adnotavi.

99. *madidas Baccheo nectare rupes:* cf. IV 8, 8: ‚plaga cara madenti Surrentina deo’.

100. *saepe per autumnum iam pubescente Lyaeo* etc.: hos versus Ausonius expressit Mos. 169—188 qui tamen v. 175 sq. duas illas Statii imagines lepidissimas alteram nympharum uvas surripientium, alteram satyrorum Nereidas sectantium, in unam conflavit haud ineleganter. Conferas etiam Lucr. IV 578 sq. *pubescente Lyaeo:* conf. Verg. G. II 390: ‚hinc omnis largo pubescit vinea fetu’. poet. ap. Cic. Tusc. I 69: ‚vites laetificae pampinis ‚pubescere’. Colum. IV 28, 1.

105. *nudamque per undas Dorida montani cupierunt prendere Panes:* Baehrensius e Marklandi coniectura edidit: *udamque.* Qua recepta quid lucremur non video. Quid in tradita lectione otiosi sit, item non video. Nam quod illi viro doctissimo superflua videtur vox ‚nudam’: multo magis supervacaneum est illud: udam. Neque quidquam valere iudico argumentum quod deinde Marklandus protulit: negat enim Ausonium legisse ‚nudam’. Non expressit in verbis suis, sed utrum legerit necne, e redivivo Ausonio inquirere opus erit. Assentior igitur Müllero (l. l. p. 46. adn. 1.) qui ‚nudam’ dubitanter quidem, sed feliciter defendit: comparavit Ov. met. V 395, adde: ib. XI 237 ‚quo saepe venire frenato delphine sedens, Theti nuda, solebas’. Claud. de nupt. Hon. 171. ‚nudae Venerem cinxere catervae’ (nempe Nereidum). Conferas etiam: II 3, 32: <Pholoe> ‚in fontem *niveos ne panderet artus,* sic torta cum veste ruit’. *montani — Panes:* cf. Ov. her. 4, 171: ‚montanaque numina Panes’. cf. Sil. It. V 625 sq.

107. *sis felix, tellus, dominis ambobus in annos Mygdonii Pyliique senis:* ineptit Gevartius cum dominos illos Neptunum et Herculem esse statuit. Domini autem in villa non sunt nisi Pollius et Polla, id quod fuse et docte exposuit Marklandus. *Mygdonius senex* spectat ad Tithonum, cuius anni in proverbium abierunt. Item Nestor longae vitae exemplum. est: IV 3, 151. I 4, 125. V 3, 256. III 4, 104. Theb. V, 157. Ov. am. III 7, 41 al. Nullum fere Statii carmen sine illo voto

est: cf. I 1, 105. I 2, 276. I 3, 109. I 4, 125. I 5, 64. II 3, 73. III 1, 171. III 4, 103. IV 1, 46. IV 3, 150.

109. *nec de cultu Tirynthia vincat aula:* postquam Noblius (l. l. p. 12) et Baehrensius librorum lectionem tentaverunt coniecturis — alter: *Tirynthia vincant arva* proposuit, alter pro '*aula*' substituit '*ora*' — defensores exstitere codicum Polsterus (quaest. Stat. IV p. 10) et Müllerus (l. l. p. 51). Atque ille quidem aulam dictam esse putat Baulos quod nomen ad Boaulia h. e. a bovum stabulo vel statione deducebant veteres. Quo tamen modo hoc intellegi posset, omisit adnotare. Alter futilitatem explicationis Polsterianae recte perspexit, sed quam ipse proposuit interpretationem ea nullo modo potest probari. Longiuscula enim disputatione congessit locos, ubi aula aliqua Herculis commemoratur. Sed eius sententiam ut assequerer, doleo quod mihi non contigit. Comparavit enim IV 6, 90: 'non aula quidem, Tirynthie, nec te regius ambit honos etc.' quo loco haud scio an traditam lectionem 'Tirynthia' defensurus fuerit, si Ottonis (l. l. p. 540) de hoc loco notae memor fuisset. Sed nil certius quam hic scribendum esse 'Tirynthie'. Neque enim Otto neque Müllerus hunc locum recte intellexerunt. Aula significat nimirum domum regiam — quae notio tritissima est: Verg. Aen. III 354. Prop. IV (V) 4, 55. Luc. VIII 493. X 116. Sen. Troad. 772 al. — minime igitur indiget epitheti. Mens autem poetae si quid video est haec: regia domus regiaque magnificentia quae te circumdederat, cum Alexandri eras comes et Hannibalis et Sullae, iam non te ambit, sed probitas et castitas Vindicis. Ex hoc igitur loco elici nil potest ad nostrum illustrandum. Ac ne alterum quidem locum (III 1, 10) cur Müllerus attulerit me intellegere ingenue fateor. Quid refert illius templi quod nondum erat aedificatum? Ergo et hanc explicationem cecidisse vix negabis. Tamen sana sunt verba; quamquam vera interpretatio latet in Beraldi editione: aula enim est idem atque villa cf. Hor. Carm. II 10, 8. Atque sic apud ipsum Statium invenitur: I 3, 40. Ab omni iam dubitatione remota est librorum lectio. Illud tantum disceptari potest, quae sit illa aula Tirynthia. Atque ne cum Müllero Tiburtinam aliquam villam intellegamus, prohibet quod iuxta positum est: Dicarchei sinus. De Herculaneo Beraldus cogitavit: at quo modo explicabimus Dicarcheos sinus? An totum sinum Cumanum significari statuamus? At qui potest ille opponi orae Surrentinae quam ipse allabitur? Necessario igitur ad solum sinum Baianum referemus. Sed si hoc convenit facile est dictu quo spectet illa aula Tirynthia: nimirum ad Baulos et ad ag-

gerem Herculis. Quo factum est ut ad eundem fere finem pervenerimus atque Polsterus, sed certa ratione ducti, non vaga et inani opinione.

110. *nec saepius isti blanda Therapnaei placent vineta Galaesi:* vulgo ex Avantii et Politiani coniecturis legebatur ‚istis' et ‚placeant'. Traditam vero lectionem egregie explicavit Krohnius. *Isti* nimirum sunt domini (v. 107). *placent* autem de verbo placandi deducendum est. Certant enim singulae villae dominum sibi defendere: cf. v. 81, sunt quasi humana mente praedita. Inde etiam intellegitur illud: *blanda:* nempe quamvis orent. Minime est otiosum epitheton. — Galaesus autem fluvius Therapnaeus vocatur propter vicinitatem Tarenti, quae urbs a Lacedaemoniis condita est. Therapnaeus vero idem est atque Lacedaemonius ex noto translationis more: cf. III 3, 93: ‚Lacedaemonii pecuaria culta Galaesi'. Similes metaphorae occurrunt: I 5, 4. I 3, 69. III 2, 111. V 3, 4. III 1, 40 al. — Heinsius cl. Prop. II 34 (III 32) 67. (‚umbrosi subter pineta Galaesi') coniecit *pineta* pro vinetis. Sed tradita lectio defendi potest optime. Neque enim vina Tarentina carebant gloria: Hor. carm. II 6, 18 sq. Plin. h. n. XIV 69. Mart. XIII 125. Athen. I p. 27c. cf. Marquardt. l. l. p. 436.

112. *hic ubi Pierias exercet Pollius artes:* minime accipiendam esse Italorum coniecturam ‚sidereas' ipsa re patet. Pieriae enim artes complectuntur, quae in sequentibus singulatim enumerantur. cf. Claud. de cons. Stil. III praef. 3: ‚non sine Pieriis exercuit artibus arma'. Paneg. dict. Prob. et Olybr. 150 al. Ante Baehrensium singula hic enuntiata ita distingui solebant, ut gravis interpunctio poneretur post v. 115: ‚hic <est> ubi Pollius Pieriis artibus vacat. Sed rectissime Baehrensius v. 112—115. protasin esse voluit, v. 116. 117. apodosin. Musis enim etiam alibi vacare potest Pollius, sed tunc non advolat Siren neque aures advertit Minerva. Iam si novum enuntiatum inchoari statuimus a v. 116 duplex evadit dubitatio: primum enim utroque loco pro ‚hinc' ‚huc' scribendum est cum Domitio. Deinde non semper Siren advolat, non semper audit Minerva, sed tunc demum, cum Pollius Musarum studiis operam dat. Exspectaremus igitur ‚tunc' v. 116. Quibus causis commotus Baehrensianam distinctionem accepi. Sententia autem haec est: Pollii cantus Sirenas allicit et Minervae animum movet.

113. *seu volvit monitus quos dat Gargettius auctor:* Gargettius auctor est Epicurus: cf. I 3, 94. cognomen habet ex demo Attico, unde oriundus erat: Diog. Laert. X 1. cf. Cic. ad

fam. XV 16, 1. Quaeritur autem quid sit *monitus volvere*; sitne proprie dictum de ‚voluminibus' volvendis, an significet cogitare aliquid. Si prior notio subest, idem valet atque ‚legere'. Certum iudicium ferri vix poterit. Quanquam altera explicatio mihi magis arridet. Neque sic inusitatum verbum volvendi: Sall. Cat. 32, 1. 41, 3. Iug. 6, 2. 108, 3. Verg. Aen. I 305. VII 254. Stat. Theb. I 398. II 322 al. Contra si quis alteram interpretationem praetulerit, is de assidua lectione debebit intellegere. Monitus autem haud scio an ad *κυρίας δόξας* Gargettii spectet.

114. *seu nostram quatit ille chelyn:* seu hexametris utitur: cf. II praef. lin. 28: hexametros *meos* timui. Ad totam sententiam conferas I 3, 99 sq., ubi similis sententiarum conexus est: v. 105: cf. II 2, 121.

seu dissona nectit carmina: ad satiram spectare haec verba arbitratur Duebnerus; alii lyrica carmina intellegunt: referenda autem sunt verba ad elegeam, quae dissona vocatur propter ‚pedes inaequales'.

115. *sive minax ultorem stringit iambon:* ultorem iambon dicit propter Archilochea carmina iambica cf. Hor. ars poet. 79: ‚Archilochum proprio rabies armavit iambo'. Arist. poet. 4, 8. Possis etiam de Hipponacte cogitare. *stringit:* imago eadem quae in loco Horatiano obviam fit, nempe ab armis.

116. *hinc levis e scopulis meliora ad carmine Siren advolat:* Siren collocata est in promunturio Surrentino. Nam si de Sirenum petris vel scopulis illis cogitare velis, non potest explicari illud ‚hinc-hinc'. cf. v. 14. meliora carmina: quam Sirenum scilicet.

117. *hinc motis audit Tritonia cristis:* Minerva in templo suo (cf. v. 2) audit Pollium canentem movetque cristas h. e. annuit ei. Heinsii igitur coniectura: *plaudit* libenter carebimus.

118. *tunc rapidi ponunt flatus:* intransitive ponendi verbum non usurpatur quod sciam nisi de ventis. cf. Verg. Aen. VII 27: ‚cum venti posuere omnisque repente resedit flatus'. ib. X 103: ‚tum zephyri posuere, premit placida aequora pontus'. Neque est cur codicum lectionem spernamus: haud enim raro illud epitheton ‚rapidus' ventis datur: cf. Verg. Aen. I 59. Ov. met. I 36. XIV 764. Hor. carm. I 28, 21 al.

maria ipsa vetantur obstrepere: elegans quidem sed minime necessaria est Marklandi coniectura: verentur.

119. *doctamque trahuntur ad chelyn et blandi scopulis delphines aderrant:* delphinos pronos esse ad musicen putabant.

Plin. h. n. IX 24. Ov. fast. II 83 sq. Blanditiae laudem Heinsius eis detrahendam censuit, cum coniceret ‚pandi'. cl. Theb. I 121. Ov. her. 18, 31. Sen. Agam. 450. Sed quod traditum est, bene defendit Beraldus.

121. *sive Midae gazis et Lydo ditior: auro* cf. I 3, 106: ‚digne Midae Croesique bonis et Perside gaza, macte bonis animi!' V 1, 60. Marklandus cum ‚dignior' coniceret cl. I 3, 106 parum caute egit. Neque enim vidit quid interesset inter hos duos locos: Pollius revera ditissimus fuit, id quod vel ex sequente versu elucet: Vopiscus laudatur propter animi bona, dignus tantum est summis divitiis. Nil igitur mutandum est.

122. *Troica et Euphratae supra diademata felix:* restitutio huius loci Domitio debetur: ante eum legebatur *diademate*. Sed praeter hanc mutationem ullam necessariam esse nego. Marklandus autem praeeunte ex parte Gronovio (diatr. I p. 189), ut versus elegantiae succurreret ‚Euphrataea super' scribendum esse censuit. Sed iusta eius offensio non est. Noluit enim poeta ad unam formam omnia redigere; cf. V 1, 26: ‚omnis *Apollineus* tegeret *Bacchique* sacerdos' 15, 39: ‚cumque *Tyri* niveas secat et *Sidonia* rupes.' quae praeterea exempla contulit Müllerus (l. l. p. 29) ab omni parte sunt aliter comparata. Potuit addere: II 6, 86: ‚odoriferos exhausit flamma *Sabaeos* et *Cilicum* messes'. Conferas etiam IV 2, 6: ‚Caesar nova *gaudia* cenae — dominaque dedit *consurgere* mensa'. — *Troica diademata supra felix* significat: felicior quam rex Troicus, h. e. Priamus. cf. Theb. I 161. Ach. I 959. *Euphratae diademata* ad Babylonias divitias spectant cf. III 2, 137. V 1, 60. Quamquam Persarum opes intellegi posse non negaverim.

123. *quem non ambigui fasces, non mobile vulgus etc.:* Horatianae imitationis exemplum hic exstare dudum animadversum est: cf. e. g. Luehr, de P. Papinio Statio in silvis priorum poetarum Romanorum imitatore. diss. Regimont. Brunsbergae 1885. p. 7: carm. I 1, 7. cf. etiam Sen. Herc. fur. 169: ‚illum populi favor attonitum fluctuque magis mobile vulgus'. cf. Epicuri fr. 548 Usen. *τὸ εὔδαιμον καὶ μακάριον οὐ χρημάτων πλῆθος οὐδὲ πραγμάτων ὄγκος οὔτ' ἀρχαί τινες ἔχουσιν οὐδὲ δυνάμεις, ἀλλ' ἀλυπία καὶ πρᾳότης παθῶν καὶ διάθεσις ψυχῆς τὸ κατὰ φύσιν ὁρίζουσα.*

124. *non leges, non castra tenent:* sic recte edi puto hoc loco. Nam terendi verbum, quod in libris exstat, alienum est a sententia huius enuntiati. Spectat enim ad nimiam operam in aliqua re collocatam. Auget igitur notionem vacandi alicui

rei: quae debilitanda potius est. Accedit quod futurum tempus haud facile quisquam interpretabitur. Iterum Epicuri fragmentum licet comparare: fr. 566. 565: οὐ πανηγυρίζειν δὲ οὐδὲ ῥητορεύσειν καλῶς (τὸν σοφὸν δοκεῖ Ἐπικούρῳ) cf. fr. 552.

124. *qui pectore magno spemque metumque domas cura sublimior omni:* ad totam huius loci sententiam poterit aliquis conferre Sen. de vit. beat. 4, 5: 'ergo exeundum est ad libertatem. hanc non alia res tribuit quam fortunae neglegentia: tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto collocata et sublimitas expulsisque terroribus ex cognitione veri gaudium grande et immotum etc'. Ad domandi verbi usum cf. Sen. epist. 85, 40: 'sapiens artifex est domandi mala' Sed de verbis ipsis minime constat. *tuto sublimior omni* sic exaratum est in libris. Sed 'tuto' corruptum esse vix quisquam infitias ibit. Neque enim pro adverbio licet accipere illam vocem propterea quod non dilucida esset tunc oratio neque placeret nudum illud: omni. Atque in hac re editores omnes consentiunt: dissentiunt in restitutione huius loci. Quod Domitius proposuit '*vitio*', licet non male sit excogitatum tamen haud scio an non significet quod poeta inesse voluit in hoc enuntiato. Nam si quis ἀταραξίαν illam Epicuream sectatur, minime sufficit eum esse sine vitio. Tamen multo melior est haec coniectura quam Baehrensiana '*astu*'. quae neque lenitate neque sensu commendatur. Praeterea Grasbergerus (l. l. p. 240) 'titulo' elegantissime proposuit in eandemque coniecturam inciderunt Adrianus[1]) et Macnaghtenus.[2]) Sed quanquam triplici quodammodo acie munita est illa coniectura probataque etiam Leoni (l. l. p. 17) tamen multitudine non esse cedendum censeo. Aptissima enim illa lectio foret, nisi verba 'qui pectore magno spemque metusque domas' intercederent, si ad leges et castra spectare posset vox 'titulo': nam inde conquiruntur tituli. Itaque ne haec quidem coniectura probabilis est. Deinde quod Polsterus[3]) '*motu*' Wallerusque[4]) '*voto*' proposuerunt, neutrum non placet. Hic suam coniecturam studuit fulcire loco quodam Rutilii Namatiani (I 163): fortunatus agam votoque beatior omni. cf. etiam v. 130. nos — semper *optare* parati. Tamen leniore etiam mutatione Krohnius huic loco medelam attulit remque acu tetigit. Principale enim Epicuri

---

[1]) quaestiones Statianae. diss. Herbipoli 1893 p. 31.
[2]) journ. of philol. XIX. (1890) p. 133.
[3]) quaestiones Statianae III. progr. Ostrowo 1884 p. 5.
[4]) excursus criticus in P. Papinii Statii silvas diss. Vratist. 1885. p. 20.

praeceptum est, ut securus sit sapiens. cf. v. 71. 143. Certissimam igitur iudico Krohnii emendationem: *cura* quae mutatione non ita gravi e litteris traditis nascitur.

126. *exemptus fatis indignantemque refellens fortunam*: cf. II 1, 222: immunis fatis. Futurum „refelles' nullo modo potest explicari. Nam fac enuntiatum ad ea exempla esse compositum quae Müllerus (l. l. p. 57) congessit: supplendum erit: exemptus fatis <eris>, sed hoc e poetae animo non est. Immo ad praesens tempus referenda est exemptio fati. Quae cum ita sint aut cum Politiano „refellis' scribendum est aut Marklandus audiendus qui „refellens' edidit. Atque huius coniectura ut lenior ita probabilior est. Plane autem supervacanea est Italorum coniectura, quae Baehrensii plausum tulit: repellis. cf. Epic. fr. 584: *τύχῃ τε (τὸν σοφὸν Ἐπικούρῳ δοκεῖ) ἀντιτάξεσθαι, φίλην γὰρ οὐδένα κτήσεσθαι.* Sed aliud est *τύχῃ ἀντιτάττεσθαι,* aliud fortunam repellere. Neque hac coniectura recepta quid sibi velit epitheton „indignans' elucet. Contra refellere h. e. redarguere optime quadrat: non faventem Fortunam refutavit: nullam in sapienten vim esse Fortunae: (Cic. Tusc. III 49.)

127. *dubium quem non in turbine rerum deprendet suprema dies: dubio* traditum est. Marklandus locum mendosum esse contendit. Manifesto enim aliquid deesse quod responderet notioni „abire paratum'. *Dubium* igitur legendum esse. Atque Baehrensio quidem persuasit. Tamen accuratius rem examinare non vetabis. Secernit autem poeta eos qui sub vitae finem (cf. II 1, 224) dubii et trepidi sunt atque desperant ab eis, qui abire parati sunt et pleni vita. Itaque si in turbine hominum dixisset poeta, h. e. inter homines turbatos, nihil esset offensionis. Cum vero in turbine rerum dixerit, h. e. in interitu mundi, non potest esse dubium, quin poetae manum invenerit Marklandus. Pollius igitur est ex eis quos Horatius describit carm III 6, 1: „si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinae'.

125. *sed abire paratum ac plenum vita:* imitatus est Lucretium: III 936: cur non ut plenus vitae conviva recedis etc. cf. Luehr, l. l. p. 3.

129. *nos, vilis turba, caducis deservire bonis semperque optare parati*: cf. II 1, 223 sq.

131. *celsa tu mentis ab arce despicis errantes*: arx qua se tuetur Pollius noster est philosophia Epicurea: cf. Lucr. II 7: nil dulcius est, bene quam munita tenere edita doctrina sapientum templa serena, despicere unde queas alios passimque videre errare atque viam palantis quaerere vitae.

132. *humanaque gaudia rides:* ingenium Marklandum destituit cum post veram vocis '*gaudia*' interpretationem coniecit '*grandia*' quae lectio quam maxime languet. Gaudia hominum sunt ea quae παρὰ κενὴν δόξαν γίνονται. (Epic. κύρ. δόξ. 29).

133. *tempus erat cum etc.:* magnam similium versuum molem collegit Luehrius, (l. l. p. 8) inter quos ex Statio haec: III 1, 52. V 1, 125. Theb. IV 680. Addo: Theb. VIII 276. cf. Theb. XI 57. 248.

135. *inde Dicarcheis multum venerande colonis:* Dicarcheam colonia Romanorum erat deducta testibus Plinio (h. n. III 61) et Strabone (V 4, 6 p. 245): (Δικαιάρχεια) ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον, κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκισαν Ῥωμαῖοι καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους ἀπὸ τῶν φρεάτων. Non opus est ex Baehrensii coniectura scribere: '*venerate*'. Immo 'venerandus' maiorem laudem Pollii continet: dignus est quem venerentur Puteolani.

136. *hinc adscite meis:* adscitus est quasi adoptatus (cf. I 1, 23) a Neapolitanis.

pariterque his largus et illis: cf. III 1, 91: 'tune largitor opum, qui mente profusa tecta Dicarchei pariter iuvenemque replesti Parthenopen?'

137. *ac iuvenile calens plectrique errore superbus:* multum hic versus viros doctos torsit. Gronovius (diatr. II. p. 142) nil aliud significare statuit vocem '*errore*' nisi 'motu'. Sit hoc verum: quaenam est sententia? vel quomodo conexa est cum antecedentibus? Pollius plectrum movens non hic habet locum. Gevartianam deinde explicationem merito castigavit Marklandus, qui sine dubio Statium affirmat scripsisse: '*plectrique decore*' vel '*canore*'. Quid autem tertia eiusdem coniectura sibi velit: '*aevique errore*' omnino meum intellectum superat. Ac ne ceteras quidem coniecturas Marklandianas probare possum neque quae eius vestigiis insistit, Grasbergeri, (l. l. p. 420) qui 'plectrique nitore' proposuit cl. II 7, 112. Sed explicare quo modo ad totam sententiam quadrarent verba, suum non esse duxit. Aliam emendandi viam Madvigius[1]) aperuit, qui in voce '*plectri*' mendum latere ratus '*patriaeque errore*' coniecit. Cui rationi Otto (l. l. p. 533) adstipulatus est, qui '*populique errore*' excogitavit. Tamen locum illi minime expediverunt. An putas revera populum nescivisse unde esset oriundus Pollius? Minime hoc veri est simile. Atque

---

[1]) advers crit. II p. 158.

quid tunc erat Pollio cur superbiret? Emendationes igitur cecidere. Proinde videamus possitne accurata explicatione melior sensus elici. Atque aliam interpretationem Weberus protulit in Dübneri editione, qui illud ‚*plectri errore*' de iuvenili ingenii lusu explicavit, quo per varias res poetice exornandas Pollius vagaretur et erraret. Nullius pretii haec esse facile cognoscitur. Nam Pollius non iuvenis tantum, verum etiam senex Musis vacavit. cf. v. 112. Sat infelicem sententiam Statio imponit ille. Omnes autem viri docti qui de hoc loco sententiam pronuntiavere, in eo mihi videntur errasse, quod illud plectrum Pollii esse existimaverunt. Sed quae causa erat Pollio canendi? An ipse sua ergo Puteolanos et Neapolitanos beneficia celebrans circumferebatur? Ineptum hoc esse in propatulo est. At si utrique civitati pariter largus fuit, quid mirum si ipse celebrabatur carmine honorifico a civibus. Tunc merito erat superbus, tunc merito iuvenile calebat. Atque ‚*errore*' cum Gronovio interpretabimur vel melius etiam cum Webero, modo ne ad ipsum Pollium referamus. Est sane quaedam breviloquentia, nimia fortasse. Sed ut nonnumquam fusa atque ampla profluit oratio Statio, sic haud raro admodum arto et contracto genere utitur dicendi. Sic demum opinor aptum sensum habemus, sic conexus est cum sequentibus.

138. *at nunc discussa rerum caligine verum adspicis:* iam non iuvenile calet Pollius neque plectri errore superbus est: nam ad haec spectat illa caligo. Gronovius (diatr. I p. 190) leni correctione opus esse ratus ‚*verum*' coniecit pro ‚*rerum*'. Quod ne accipiamus haud scio an impediat verborum collocatio. Atque multis exemplis allatis Marklandus demonstravit vocem ‚*rerum*' haud raro abundare.

139. *illo alii rursus iactamur in alto:* pro eo quod traditum est: *iactantur* Barthius scribendum censuit ‚*iactentur*' habuitque assentientem Marklandum. Tamen pro explorato habeo Statium scripsisse: *iactamur*, quae coniectura ab Italis et ab Heinsio prolata et lenior est quam Barthii et unice quadrat: cf. 142: in *nostras* procellas. v. 129: *nos* vilis turba.

140. *et tua securos portus placidamque quietem intravit non quassa ratis:* a languida Italorum coniectura, ‚*blandamque*' Statium licet defendere collatis Verg. Aen. I 691. Ov. met. IX 469. fast. I 205 al.

142. *in nostras dimitte procellas:* dimittendi verbum optime se habere demonstravit Marklandus; dimittitur enim navis ex portu in altum mare, demittitur e terra in aquam. Politiani igitur coniectura ‚*demitte*' aliena est ab huius loci

sensu. Parum caute Marklandus vocem 'nostras' tentavit. Nostrae enim procellae sunt, in quibus nos versamur.

143: *discite securi, quorum de pectore mixtae in longum coiere faces:* allocutio fit ad plures. Qui sint illi multum dubitavere — Pollium et Menecratem plerique intellexere! — sed sano homini nulla potest relicta esse dubitatio quin ad Pollium eiusque coniugem spectent illa verba. Ad hos solos quadrant sequentia: quorum de pectore etc. At Pollae nondum in peroratione mentio facta est. Apparet igitur Gronovium (diatr. I p. 183) qua erat doctrina et sagacitate verum vidisse, qui v. 143—146 in fine totius eclogae collocandos esse statuit. Accedit, quod iam Barthius sensit clausulam sic cadere, ut mancum videri possit carmen. Utique necessaria est transpositio illa. *discite securi:* Gronovius 'dicite' coniecit quod me non intellegere fateor. Marklandus Gronovii scrupulos remotos esse censuit, si '*vivite*' scriberetur. Cuius sententiae Polsterus[1]) se applicavit, qui litterarum traditarum vestigiis artius insistens: 'degite' proposuit. Sed rectissime nuperrime Vollmerus[2]) defendit librorum lectionem: *discite*. Nam ex v. 148 sq. cognoscitur Pollam quoque philosophica doctrina imbutam fuisse. Quod cum ita sit, optime ad sententiam aptum est illud 'securi'. — *de pectore*: cf. IV 6, 55. Cic. de. div. I 8, 14 v. 3.

145. *ite per annos saeculaque et priscae titulos praecedite famae*: hos versus conclusisse eclogam docent similes omnium fere carminum exitus: cf. I 1, 105. I 2, 275. I 3, 110. I 4, 125. I 5, 64. II 3, 73. III 1, 171. III 4, 103. IV 3, 162. V 1, 258. *priscae titulos praecedite famae:* cf. I 2, 90: tu veteres, iuvenis, transgressus amores.

147. *tuque nurus inter longae praecordia curae:* cum verba tradita sensu careant, de lacuna statuenda iam Domitius cogitavit. Sed mala maluit coniectura loco mederi. Atque quae in deterioribus libris leguntur pro vocibus '*praecordia curae*' manifestum est coniecturis esse orta neque eis felicibus. Assentior igitur Baehrensio qui versum lacuna haustum esse adnotavit. Quid autem lacuna illa perierit, haud difficile est ad enucleandum. '*longe*' adverbium — nam '*longae*' sensu destitutum est — exigit superlativum. Praeterea desideratur nomen Pollae, ita ut Statio suum videatur vindicavisse Vollmerus l. l. qui '*doctissima Polla*' supplevit. Sed de supplendis verbis si longius velim disserere, vereor ne ventis verba profundam. De sententia dubium esse non potest, cf. Vollmer l. l. p. 38.

[1]) Fleckeiseni ann. CVII (1873) p. 775.
[2]) mus. Rhen. vol. LI (1896) p. 38.

148. *non frontem vertere minae*: in Matritensi utrum ‚vescere', an ‚vestere' exaratum sit non liquet. Sed utut est, lenissima est Domitii coniectura: *vertere*, quamquam ne Baehrensiana quidem displicet: *secuere* enim in textum recepit Baehrensius. Litterarum autem vel syllabarum singularum transpositiones haud raro in silvarum libris factas esse notissimum est: cf. e. g. II 6, 13: ‚diesque' pro ‚deisque'. III 5, 57: ‚intracia' pro ‚Trachinia'. I. praef. lin. 33: ‚Gallico est valenti' pro ‚Gallico convalescenti al. *minae* spectant ad fortunae calamitates vel ad curas.

sed candida semper gaudia: ‚gratia' iniqua Minerva coniecit Marklandus. Et ipso sensu patet et sequentibus verbis traditam lectionem esse veram.

150. *infelix strangulat arca:* infelix dicitur arca, quia nil ex divitiis in ea reclusis redundat utilitatis. strangulare enim est coercere.

151. *avidique animum dispendia torquent fenoris:* non opus esse cum Barthio Baehrensioque scribere-*ve* apparet ex illis regulis quas recte constituit Handius (ad. I 2, 160.) Ac ne ‚avidae' quidem cum Baehrensio probabimus, quoniam optime excogitatum est illud fenoris epitheton. Fenus enim non usuras solum significat, sed etiam ipsam pecuniam. Avida autem appellatur summa capitis, quod avide quaerit usuras.

152. *expositi census et docta fruendi temperies: census* συνωνύμως usurpatur voci ‚divitiae': cf. Bitschofsky, de Apollinaris Sidonii studiis Statianis. 1881. p. 68. s. v. census. *expositi census* opponuntur divitiis sepositis in arcis. *docta fruendi temperies:* cf. I 3, 92: ‚sanusque nitor luxuque carentes deliciae'. V 2, 73: ‚nitorque luxuriae confine timens'.

153. *non ulla deo meliore cohaerent pectora eqs.*: in eis quae antecedunt, Pollii et Pollae mores poeta descripsit; iam comparantur: optime consentire coniuges cognoscitur.

154. *non alias docuit Concordia vultus:* traditam lectionem nuperrime bene defendit Vollmerus l. l. p. 38. Facillime enim subauditur ex comparativo, qui exstat in enuntiato antecedente: magis. Similis locus est Horatii sat. I 2, 123: ‚munda hactenus ut neque longa nec magis alba velit quam dat natura videre' ubi in priore comparativo ‚magis' omittitur. Ad totam sententiam: cf. V 1, 43: ‚nec mirum si vos collato pectore mixtos iunxit inabrupta Concordia longa catena'. I 2, 239: ‚dat Iuno verenda vincula et insignis geminat Concordia taedas.' Claud. epith. Hon. 203.

Analecta critica.

Quoniam explicationem villae Surrentinae confecimus, iam ad ceteras silvarum eclogas emendandas vel explicandas nonnulla proferre libet.

Ac primum quidem nonnullos errores orthographicos qui exstant in Baehrensii editione castigemus. Illud non magni aestimo quod saepius parvam initialem edi curavit pro magna, quamquam ne hoc quidem interpretationis auxilium abiciendum est; sicuti I 2, 218: *Aurora* IV, 1, 13 *Pace* IV 3, 17 *Pacem*. V 1, 168 *Mors* II 1, 183 *Letique* scribere debuit, neque quod prave non nunquam interpunxit, veluti IV 1, 33 in Baehrensiana editione legitur, ‚*tu, iuvenis, praegressus avos*', quasi ‚iuvenis' esset *ἀποστροφή*, non attributum. Minima haec ut sint, tamen nonnihil conferunt ad intellegendum poetam. Graecum vero verborum colorem, quem saepissime cum apud ceteros poetas tum in Statii silvis apparere nemo nescit, ille haud raro sine iusta causa delevit. Quo in numero habendum est quod in titulo alterius primi libri eclogae edidit:[1]) ‚epithalamini*um* in Stellam et Violentillam', Politiani nimirum notam secutus. Scribendum autem erat: epithalam*ion* sic enim et in libris manuscriptis exstat optimis nec non ipse sic locutus est poeta: I praef. lin. 26. Idem docent aliarum eclogarum tituli: *Genethliacon Lucani* (II 7), *Propempticon Maecio*[2]) *Celeri* (III 2), *Eucharisticon ad imp. Aug. Germanicum* [Domitianum][3]) (IV 2), *Hercules Epitrapezios Novii Vindicis* (IV 6), et ter exstat: epicedion V 1. V 3. V 5. Ratio igitur nulla est, cur epithalamium poetam scripsisse statuant.

Similiter peccavit Baehrensius in Sullae nomine. ‚*Sylla*' enim Statium scripsisse pro certo evincitur duobus Herculis Epitrapezii locis (IV 6), ubi in librariorum peccatis forma Graeca

[1]) cf. quae supra p. 8 de illis titulis exposuimus.

[2]) Sic legendum esse monuit Stobbius ap. Friedl. hist. mor. III p. 447.

[3]) om. Politianus, haud scio an recte.

Sylla, non *Sulla* latet. Exhibent enim libri v. 86: ‚conviva Sibyllae' vel ‚conviva Sybillae' pro ‚convivia Syllae'. Atque quod in libris exstat nisi ex scriptura ‚Sylla' originem ducere non potuit. Neque aliter res se habet in v. 107 ubi secundum Handium: Scyllae vel Scillae in codicibus exaratum est: Syllae igitur nomen utroque loco in archetypo fuit. Quamquam hoc mirum esse nullo modo potest, cum etiam apud alios poetas Graeca forma huius nominis occurrat, e. g. apud Silium Italicum. Apud quem Ludovicus Bauer novissimus editor libri septimi v. 618 recte scripsit secundum Coloniensem ceterosque libros: *Syllaeque Crassique etc.* Dictatorem vero idem vir doctus Graecanica specie induere noluit quamquam duobus locis XIV, 855 et 860 debuit. Neutro loco de Coloniensi testimonium exstat, sed cum in ceteris libris vel ‚Sylla' vel ‚Silla' legatur — nisi quod altero loco unus Laurentianus ‚Sulla' exhibet — non potest esse dubium quin his quoque locis ‚Sylla' sit scribendum. Conferas etiam Claudian. ed. Koch p. XX.

Prorsus eadem res est in voce ‚Thule'. Sic enim ubique edidit Baehrensius. Quater autem occurrit hoc nomen apud Statium atque sic traditur.

III 5, 20:	A Thules (?)	C thiles vel thyles	a tiles
IV 4, 62:		C thiles	a tiles
V 1, 91:	A Thyle	C Thyle	
V 2, 55:		C Thule	

si ex Baehrensii silentio aliquid concludere licet. Vel ex hac tabula fit manifestum Statium scripsisse ‚Thyle'. Confirmatur autem haec sententia eo quod etiam apud ceteros poetas Latinos haec forma occurrit: Verg. georg. I 30 *Thyle* libri secundum Ribbeckium omnes exhibent, nisi quod in Mediceo exstat: THYLAE. Deinde:

Sil. It. II 597: FV: thylen LO: thilen

id. XVII 416: F: tyles OV: tiles L: tile (= Thylae?) ubi vulgata lectio fuit ‚Thulen' et ‚Thules'; recte autem Bauerus Graecam litteram restituit. Sufficient opinor, quos attuli, loci: nemo vetabit: Thyle scribi in silvis.

Minutias esse quae hucusque tractavi suo iure quis dixerit. Tamen non prorsus talia sunt spernenda. Augetur enim sic Graecarum formarum numerus, quarum permultae apud Statium exstant. Nonnulla huius generis collegit Lehanneurius[1]), sed rem minime exhausit. Omisit enim ferme voces, in quibus Graeca terminatione utitur Statius, neque vocabulorum Grae-

[1]) de Statii vita et operibus. Rupellae 1878 p. 78. adn. 2.

corum nil deest. Formas Graecas enumerare longum est — adeo sunt multae —, voces autem eum fugerunt hae:

I praef. lin. 26: epithalamion. I 1, 43: chlamys, I 2, 2: plectra. I 2, 5: thalami. I 2, 26: hymen. I 2, 69: adamas. I 2, 80: lampas. I 2, 146: cygnus. I 2, 186: aethera. I 2, 227: thyrsus. I 2, 250: lyra. I 3, 28: delphines, ib. ephebus. I 4: soteria. I 4, 33: tholus. I 5, 16: corymbus. I 5, 35: ophites. I 6, 71: cymbala.

II 1, 85: hydra. II 2, 89: gyrus. II 2, 122: diademata. II 3, 27: pharetra. II 4, 34: amomum. II 6, 79: Phosphoros. II 6, 92: onyx. II 7, 3: oestrus. II 7, 29: trapetum. II 7, 124: thyasus.

III 1, 129: echo. III 1, 132: aegis. III 1, 139: Limon. III 1, 155: discus. III 1, 157: palaestra. III 2, 31: phaselos. III 2, 92: chaos. III 2, 103: sistrum. III 4, 58: crystallum.

IV praef. lin. 8. paeanas (ex Baehrensii coniectura admodum audaci). IV 4, 66: thorax. IV 5: ode. IV 6, 11: conchylia. IV 8, 51: mystae. IV 9, 28: cottana.

V 1, 225: ostrum. V 5, 4: orgia [quam vocem Lundstroemius (l. l. p. 36) a Lehanneurio omissam esse adnotavit].

Sed missas faciamus has quisquilias. Neque potest esse dubium, quin ex accurata librorum cognitione plura huius generis evasura sint. Iam maiora aggrediamur. Ante decem circiter annos Guilelmus Brandes[1]) etsi non primus ausus est nonnullis silvarum locis transpositione versuum medelam afferre. Certissima mihi videtur eius de silv. I 1, 37 sq. coniectura, qua recepta demum animo fingere licet imaginem illius equi Domitiani qualis re vera fuisse potest. Atque tunc demum ratione ac via progredimur. Iniuria enim Otto Müllerus in electis Statianis (progr. Berolini 1882. p. 10 sq.) Baehrensium vituperavit quod v. 37 contra vulgatam lectionem ad librorum memoriam revocaverit. Tamen restant scrupuli; quos removit Brandesius qui v. 41, 42 intra versus 37 et 38 poni iussit. Ac profecto male egit Otto Stange[2]), qui in commentario ad hanc eclogam conscripto vulgatam lectionem restituendam esse censuit. Ac ne in ceteris quidem Brandesii coniecturis reiciendis felici Minerva egit: nullam enim refutavit neque ipsi res bene administrata est (p. 33) in transponendo versu 16 sextae primi libri eclogae. Recte autem Brandesius alios quoque locos eadem medela ad integritatem redigi posse videtur adnotavisse.

---

[1]) ephem. gymn. Austr. XXXVI (1885) p. 573 sq.

[2]) P. Papinii Statii carminum quae ad imperatorem Domitianum spectant interpretatio progr. Dresdae 1887. p. 8 sq.

Quo in numero meo quidem iudicio est locus vexatissimus: *silv. I 1, 18—31*:

ex vastis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes magnoque superbit
pondere nec tardo raptus prope flumina cursu
fumat et ingenti propellit Strymona flatu.
par operi sedes. hinc obvia limina pandit,
qui fessus bellis adscitae munere prolis
primus iter nostris ostendit in aethera divis.
discitur e vultu, quantum tu mitior armis,
qui nec in externos facilis saevire furores
das Cattis Dacisque fidem. te signa ferente
et minor in leges iret gener et Cato pacis.
at laterum passus hinc Iulia tecta tuentur,
illinc belligeri sublimis regia Pauli.
terga pater blandoque videt Concordia vultu.

sic hos versus, quos totos exscribere necessarium visum est, Baehrensius edidit. Qui quot vitiis textum hoc loco inquinaverit dudum cognitum est; cf. O. Müllerum l. l. p. 9. Sicut v. 18. *ex vastis* — *armis* scripsit de sua coniectura, quam miror arrisisse Laurentio Grasberger (l. l. p. 409). Neque Schwartzii (l. l. p. 13) sententiae possum adstipulari qui ‚*armis*' non de nominativo: ‚arma' sed de ‚armi' deducendum esse statuit. ‚exhaustis armis' est finitis armis ut III 5, 40: exhausti fati = finiti fati, arma autem sunt pro ‚bello' cf. II 1, 90. Nam quomodo exhaustis viribus equus superbiat non perspicitur. Recte explicaverunt hunc locum Augustus Otto (l. l. p. 362) et Gerhardus Adrian (l. l. p. 7) cuius exempla facili opera possunt augeri. Deinde de voce ‚*altius*' post Handium recte iudicaverunt Grasbergerus et O. Müllerus (l. l. p. 9). — v. 20. ‚*nec tardo*' plane ad ea exempla comparatum est quae collegit Fridericus Leo (l. l. p. 19)[1]. In v. 22 potes dubitare utrum recipias ex Haveti[2]) coniectura ‚*huic*' an retineas quod libri exhibent: ‚*hinc*'. Tamen cum possit explicari tradita lectio — nempe: ab hac parte a qua initium capit poeta in describendo loco h. e. a fronte — nil ego mutaverim. Illa limina cuius aedificii sint manifestum fit ex sequentibus: Divi Iulii aedem dicit a Caesare Augusto — nam ad eum spectat illud: adscita h. e. adoptata proles —

---

[1]) cf. Imhof, Statii ecloga ad uxorem 1863 p. 26, Vollmer l. l. p. 40.

[2]) rev. de philol. I (1877) p. 165.

in orientali latere fori Romani pro rostris Caesareis exstructam. Sandstroemius (l. l. p. 3) qui cum *'fessus bello'* de Caesare novum bellum, scilicet Parthicum, moliente dici non posset, *'visus populis'* coniecit, minime mihi persuasit. Voluit autem intellegi suam coniecturam de sidere Iulio.[1]) At etiamsi Caesar de novo bello cogitavit, tamen si *'fessus bellis'* dicitur, optime in caelo ex laboribus conquiescere fingitur. Sequuntur iam versus quibus imperatoris describitur vultus — nam minime audiendum esse Sandstroemium qui *'e titulo'* coniecit, quod etiam Ottoni Müllero (l. l. p. 10) haud displicuit, optimis demonstravit argumentis Stangius (l. l. p. 7): — Clementiam et lenitatem vultus laudat poeta. Quae verba minime cohaerent cum antecedentibus; imprimis illud *'quantum tu mitior armis'* non intellegitur, si Caesaris mentionem subsequitur. Atque hanc offensionem velim notes.

Accedit autem altera multo gravior. Pergit enim poeta v. 29:

at laterum passus eqs.

Nemodum explicavit illud *'at'* neque potest explicari. Laterum enim descriptio, ei quod a fronte est necessario opponitur, non vultus mansuetudini. Fieri igitur non potest quin v. 29 excipiat versum 24. Quid ergo faciamus? Delendine sunt versus inde a vicesimo quinto ad vicesimum octavum? At certa interpolatricis manus vestigia in silvis nondum patefacta sunt. Neque illa verba interpolatorem redolent. Sane ab eo loco, ubi in libris leguntur nec non in editionibus, alieni sunt hi versus, verum tamen non eiciendi sed traiciendi sunt. Atque necessario mea quidem sententia totum locum in hunc ordinem redigemus, ut v. 25—28 intercalentur inter v. 21 et 22. Tunc demum illud *'quantum tu mitior armis'* suam habet vim, nam antecedit equi imperatoris cum Martis comparatio. Tunc demum loci descriptio bene progreditur, tunc denique cognoscitur qui exitus versus duodetricesimi adeo potuerit corrumpi. Nam corruptam esse vocem *'castris'* mihi quoque persuasum est. Neque ullo pacto probari potest quod nuper Macnaghtenus (l. l. p. 129) traditam lectionem explicare conatus est. Magna enim initiali vult scribi *'Castris'* atque intellegere iubemur Castra Cornelia prope Uticam sita. Quare quid lucremur ego quidem non video. Statium aequalibus aenigmata non proposuisse apparet; nisi quis forte cum scholiis poemata

[1]) cf. Gardthausen, Augustus und seine Zeit 1891. I p. 54 II, 1 p. 24.

illa a poeta edita esse statuit. Quis enim unquam intellegeret nudum illud ‚*Castris*'? Ac dummodo ipsius Uticae mentio fierit! Eiusdem generis est haec explicatio atque Polsteri (quaest. Stat. IV p. 10) interpretatio versus 31 villae Tiburtinae (I 3), quam tetigisse sat habeo. Ac ne Schwartzius (l. l. p. 13) quidem feliciter videtur lacunam post v. 28 statuere. Nam sententiarum conexus integer est: nil enim desideratur nisi epitheton Catonis. Ac circumspicienti mihi quae a viris doctis proposita sunt — sat longa series esset, si quis omnia enumerare vellet — aptius nil invenio quam quod ante medium circiter saeculum Döllingius in programmate Plaviensi[1]) coniecit: *constans*. Quae vox neque adeo a litteris traditis distat et ad sensum egregie quadrat. Succurrit autem huic coniecturae, quod Cato apud illius aetatis poetas saepissime cognomine ‚durus' exornatur, cui adiectivo eadem fere notio subest atque ‚constans', nempe ‚pertinax'. cf. Luc. II 380. IX 50. 734. Mart. XI 2, 1. Iuv. 11, 90.

Sed non absoluta mihi videretur de hoc loco disputatio, nisi unum monerem quod Baehrensius mihi videtur peccavisse. Falso enim post finem versus 30 posuit punctum. Melius certe profluit oratio si ibi commate interpungitur, ita ut pater non solum terga, videre dicatur, sed etiam tueri. Recte autem distinguitur pater h. e. Divi Vespasiani templum a Concordiae aede: nam illud a tergo vere est, haec a latere prospicit. Quod Concordia blando vultu dicitur videre, ridicule interpretatus est Volckmarus[2]). Significat autem: clementi vel propitio erga Domitianum vultu.

Totum igitur locum sic legi velim:

exhaustis Martem non altior armis
Bistonius portat sonipes magnoque superbit
20. pondere nec tardo raptus prope flumina cursu
fumat et ingenti propellit Strymona flatu.
25. discitur e vultu quantum tu mitior armis,
qui nec in externos facilis saevire furores
das Cattis Dacisque fidem. te signa ferente
28. et minor in legis iret gener et Cato constans.
22. par operi sedes. hinc obvia limina pandit
qui fessus bellis adscitae munere prolis
primus iter nostris ostendit in aethera divis.

---

[1]) Das kolossale Reiterstandbild Domitians etc. 1837.

[2]) Statii silvarum novae editionis specimen progr. Ilfeldae 1861. continet commentarium ad equum Domitiani conscriptum).

29. at laterum passus hinc Julia tecta tuentur,
illinc belligeri sublimis regia Pauli,
terga pater, blandoque videt Concordia vultu.

Item transpositione mihi opus esse videtur *in balneo Claudii Etrusci* (I 5). Legitur ibi post marmorum pretiosissimorum, quibus thermulae illae instructae sunt enumerationem v. 41—46:

non lumina cessant,
effulgent camerae, vario fastigia vitro
in species animoque nitent. stupet ipse beatas
circumplexus opes ac parcius imperat ignis.
45. multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
perforat atque alio sol improbus uritur aestu.

versu 41 in libris exstat: ‚*lumina*'. Itali coniecere: ‚*limina*' quod nuperrime defendit Henricus Müllerus (l. l. p. 30 sq.), qui quaerit quid in fenestris sit memorabile aut pretiosum. Minime vero apta est haec quaestio. Nam quanti Romani imprimis in balneis aestimaverint multum lumen intrare, id maxime fit perspicuum ex Senecae epist. 86, 8: ‚nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi et lavantur simul et colorantur, nisi ex solio agros et maria prospiciunt'. et ibidem paulo infra (11): ‚quantae nunc aliquis damnat rusticitatis Scipionem, quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserat: quod non in multa luce decoquebatur et exspectabat, ut in balneo concoqueret'. Etiam Plin. epist. I 3, 1 balineum laudat, quod ‚plurimum sol implet et circumit'. Atque Martialis de ipso Etrusci balneo dicit VI 42, 8 sq.:

nusquam tam nitidum vacat serenum.
lux ipsa est ibi longior diesque
nullo tardius a loco recedit.

Ergo non dubitabis, quin fenestrarum laudari potuerit amplitudo. Neque propter magnificentiam non efferuntur; id quod ipse Müllerus concedit, cum Queckii (p. X) et Ottonis (l. l. p. 372) coniecturam v. 43 ‚auroque' probat. Sed quomodo illi interpretentur illud: *in species nitent,* non liquet. Neque enim auro efficitur, sed vario vitro, ut niteant fastigia in species, ut quodammodo animatae species in solum cadant. Quamobrem summopere mihi arridet Koestlinii[1]) coniectura: ‚*animasque*'. Sat igitur multa erant quae in fenestris laudarentur. Sed iam

[1]) philol. XXXV (1876) p. 527.

videamus quomodo res se habeat, si 'limina' scribimus. Atque in antecedentibus non de parietibus marmore incrustatis verba fecit poeta, sed in universum de marmorum generibus quae in exornando balneolo usurpata sunt. Itaque non est cur repetatur ex priore sententia pars minutissima: nempe limina. Saltem debuit dici: nec limina cessant, h. e. ne limina quidem cessant. Quae cum ita sint, ego a Gronovii partibus sto qui in antidiatribes elencho (diatr. II p. 151) reiecta Crucei in antidiatribe (ib. p. 23) hariolatione sic hunc locum explicat: lumina pretiosorum marmorum praetextura non carent. Retinemus igitur 'lumina'. Lumina autem fenestras esse nemo sanus infitias ibit, cf. e. g. Cic. de or. I 179: 'nam cum aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit etc.' Versus 42—44 bene procedunt recepta Koestlinii coniectura, de qua supra verba feci. Sequitur:

multus ubique dies etc.

Sed hoc enuntiatum immane quantum languet. Nam si multus dies tunc demum est, ubi radiis culmina totis perforat sol, quomodo iam antea effulgent camerae, quomodo fastigia in species nitent? Immo hoc fieri non posse nisi sol suum lumen demittit, docet locus nostro similimus, dico I 3, 52 sq.

dum vagor adspectu visusque per omnia duco,
calcabam necopinus opes. nam splendor ab alto
defluus et nitidum referentes aera testae
monstravere[1]) solum; varias ubi picta per artes
gaudet humus *superatque novis asarota figuris.*

conferas etiam Senecae locum quem supra laudavi (epist. 86, 8): lavantur simul et *colorantur.* Praeter figuras, quae sunt in opere musivo in villa Tiburtina Vopisci ubi solis lumen intrat, novae figurae exsistunt eo quod vitrei fastigii figurae cadunt in solum. Atque similem sententiam nostro quoque loco subesse propter similitudinem fit verisimile. Hanc autem eliciemus una et delebimus mendum quod supra patefeci, si transpositis versibus 45 et 46 totum locum sic legimus:

non lumina cessant,
multus ubique dies; radiis ubi culmina totis
perforat atque alio sol improbus uritur aestu
effulgent camerae, vario fastigia vitro

---

[1]) pessime Cornelissenus (mnem. V (1877) p. 279) coniecit: constravere.

in species animasque nitent. stupet ipse beatas
circumplexus opes et parcius imperet ignis.

In extremo versu egregie falsus est Otto qui l. l. miratur quod nemodum ‚igni' correxisset. Non Vulcanus, ut ille vult, sed Etruscus ipse intellegeretur. At poetice ignis tubulis sub solo et intra parietes ductus balneum complecti dicitur. Sed propone modo animo tuo dominum suas opes circumplexum: videbis quam ridicula sententia efficiatur, Ottonis coniecturam si probamus.

Iam de *Genethliaci Lucani* (II 7) *versibus 83 sq.* verba sum facturus. Quem locum Baehrensius transpositione versuum sanare posse sibi visus est. Minime autem probandam esse Marklandi sententiam qui praegrediente ex parte Gevartio versus 84 et 85 pro spuriis eiecit, nemo opinor negabit. Idem vir doctus etiam de versu 83 erravit: perperam enim interpretatus adiectivum ‚decoram' ‚ingenio *s*uo' scribendum censuit. Tunc illud ‚ingenio suo decoram' nil esset nisi molesta iteratio eius notionis, quae in voce ‚doctam' inest. Imprimis autem pronomen possessivum langueret. At nulla mutatione opus est. Nam recte traditum est ‚ingenio tuo decoram'. Decorus enim habet significationem ‚par, idoneus, dignus', vernacula lingua: entsprechend. Refutata illa Marklandi coniectura iam de Baehrensii proposito videamus. Qui pro tradito versuum ordine hoc:

taedis genialibus dicabo
doctam atque ingenio tuo decoram
qualem blanda Venus daretque Iuno
forma simplicitate comitate
censu sanguine gratia decore eqs.

hunc censuit esse restituendum:

doctam atque ingenio tuo decoram
forma simplicitate comitate
censu sanguine gratia lepore
qualem blanda Venus daretque Iuno.

In quibus propter transpositionem coactus est pro ‚decore' ex Lindenbrogii coniectura scribere: ‚*lepore*'. Nam quod praeterea dicunt, idem esse gratiam atque decorem, hoc ne flocci quidem facio. Sane interest aliquid inter haec substantiva. Nam decoris est quod decet, gratiae quod gratum est: utraque notio etiam diversa a forma vel pulchritudine. Quae cum ita se habeant, operae pretium erit quaerere possitne traditus versuum ordo defendi. Ac sane potest optime. Nam ablativi illi qualitatis quos dicunt pendent ex pronomine ‚qualem'. Ne

minima quidem offensionis ansa vere exstat. Proinde fortiter reiciamus Baehrensii coniecturam traditamque versuum collocationem restituamus.

Atque haec quidem de versuum transpositione. Iam de lacunis statuendis pauca dicam. De quibus quam recte Koestlinius (l. l. p. 514) iudicaverit, facile apparebit. Certissimis enim rationibus ducti versus aut singulos aut plures intercidisse coniecere Baehrensius (V 3, 129. II 2, 147.), Wachsmuthius[1] (I 6, 77), Henricus Müllerus (l. l. p. 16) (III 3, 141): sed statuere viri docti etiam lacunas, ubi oratio integra fluit vel leniore mutatione textus ad genuinam formam revocari potest: veluti post I 1, 28. 37. I 2, 6. I 3, 9. 70. II 6, 14. V 3, 182 al. De primae primi libri eclogae v. 28 supra egimus itemque de I 3, 70. II 6, 14, de I 1, 37 rem absolvit Brandesius (l. l. p. 573). De sexto epithalamii versu paucis agamus (I 2, 6). Verbum enim finitum huic enuntiato deesse contendit Schwartzius (l. l. p. 14). Locus autem hic est:

procul ecce canoro
demigrant Helicone deae quatiuntque novena
lampade sollemnem thalamis coeuntibus ignem
et de Pieriis vocalem fontibus undam.

Per figuram quae zeugma vocatur, *ἀπὸ κοινοῦ* ut grammatici dicunt positum est verbum ‚quatiunt'. Significat enim ‚adferunt quatientes': unde promas illud ‚adferunt', ut sit praedicatum versus sexti. Saepenumero autem hac licentia usus est Statius cf. e. g. I 1, 81 cum Volckmari adnotatione. I 2, 148: hic Libycus Phrygiusque silex <exstant>, hic dura Laconum saxa virent. V 3, 12: quis sterili mea corda situ <velavit>, quis Apolline merso frigida damnatae praeduxit nubila menti, quem locum perperam explicavit Otto (l. l. p. 544) repudiatus a Lundstroemio (l. l. p. 78) cf. V 5, 44.

Post I 3, 9 ibidem Schwartzius assentiente Leone (l. l. p. 15) versum excidisse affirmavit, plures nuperrime Henricus Müllerus haustos esse lacuna contendit. Tamen quominus hanc sententiam probem impedit egregia Wachsmuthii praeceptoris illustrissimi coniectura, qua recepta nulla offensionis causa relinquitur. Is enim cum in seminario philologico hanc eclogam nobis interpretandam proponeret, usus Hahnii coniectura[2]) sic hunc locum sanavit:

ipsa manu tenera tectum *inscripsitne Voluptas.*

---

[1]) mus. Rhen. vol. XLIII (1888) p. 26.
[2]) quaestiones Statianae diss. Vratisl. 1872. thes.

Neque felicius nobis egisse videtur Henricus Müllerus, (l. l. p. 53) cum post II 1, 30 retento quod in libris exstat ‚iam' quaedam excidisse coniceret. Quod illud ‚*fulmine in ipso*' ei suspicionem movit, minime iusta est offensio, compara quaeso V 5, 50: ‚dignumque nihil mens fulmine tanto repperit'. Atque ‚*me*' ex Domitii coniectura suo iure editores receperunt, propterea quod et pronomen utique necessarium est et ‚*iam*' facillime ex initio versus penetrare potuit.

Plane non intellego cur Schwartzius (l. l. q. 14) V 3, 182 post vocem ‚*auguribus*' lacunam statuerit. Nam quod praedicatum deesse dicit, nihil valet: ‚*monstrasti*' suppleas ex versu antecedente: en absoluta sententia.

Sed haec nunc quidem non persequor. Concedes non ea qua par est circumspectione et cautione progressos esse viros doctos. Transeo ad epicedion patris (V 3), ubi posterioris recensionis vestigium a viris doctis nondum mihi videtur esse detectum. Retractatam autem esse hanc eclogam, sed non ultima lima expolitam cum Kerckhoffio (l. l. p. 23) teneo contra ea quae nuperrime Curcio disputavit. Ac ne Vollmerus (l. l. p. 40) quidem mihi persuasit, qui quamquam Statii patrem paulo post Vesuvii eruptionem anno 79 factam obiisse videtur accipere, epicedion multo post compositum esse statuit. Quod autem poeta tres menses post patris mortem se poema scripsisse diserte testatur, ad ficticium tempus spectare putat. Minime vero mihi videtur esse probabile post decennium poetam illud tempus finxisse.

Poeta postquam exposuit quid pater Romae adulescentes nobiles docuisset, sic pergit: (v. 185 sq).

et nunc ex illo forsan grege gentibus alter
iura dat Eois, alter compescit Hiberos,
alter Achaemenium secludit Zeugmate Persen,
hi dites Asiae populos, hi Pontica frenant,
hi fora pacificis emendant fascibus, illi
castra pia statione tenent: tu laudis origo.
non tibi certassent iuvenilia fingere corda
Nestor et indomiti Phoenix moderator alumni
quique tubas acres lituosque audire volentem
Aeaciden alio frangebat carmine Chiron.

Qui versus optime subsequuntur eos qui antecedunt. Iam vero mihi considera quae sequntur:

talia dum celebras subitam civilis Erinys
Tarpeis de monte facem Phlegraeaque movit proelia.

Quonam quaeso spectat vox 'talia' et quae est notio verbi 'celebras'? Ab altera quaestione initium disputandi capere e re erit. Celebrare plerumque significat: aliquem canere: feiern nostra lingua, vel frequentare h. e. frequenter facere vel tractare aliquid. Prior notio ab hoc loco aliena est, cum de carminibus Papinii grammatici doceamur in eis quae sequuntur. Ergo restat altera significatio. Quae quidem optime quadraret, si 'talia' ad disciplinam Statii patris spectaret; v. 195 autem haud male sequi posse versum 184 luce est clarius. Sed quale iudicium de mediis versibus 185—194 feramus? Statuamus opinor necesse est v. 185—194 a poeta esse additos eo consilio nimirum ut amplificaret sententiam quam expresserat v. 177—184. Quos quominus sequentibus accommodaret morte videtur impeditus esse poeta: nam totum carmen non ab ipso editum esse cum alia demonstrant quae viri docti passim notaverunt tum ipsa tituli forma.

Moto civili tumultu et Capitolio incendiis absumpto grammaticus 'facibus velocior ipsis' pio ore solacia templis excisis cecinit et e medio divum pater annuit igni (v. 204).

> iamque et flere pio Vesuina incendia cantu
> mens erat et gemitum patriis impendere damnis,
> cum —

quid exspectatur? Nimirum quoniam particula 'cum' h. l. eius generis est quod inversum grammatici vocant, causam addi, cur non de Vesuinis incendiis cantum composuerit poetae pater. Quid autem sequitur?

> cum pater exemptum terris ad sidera montem
> sustulit et late miseras deiecit in urbes,

h. e. cum eruptio Vesuvii facta est. Quomodo ex his difficultatibus nos extricabimus? Certe non ea ratione qua voluit auctor indicis Kohlmanniani quisquis est, qui duo incendia h. e. duas eruptiones commemorari putat. Erant sane primo nostrae aerae saeculo duae eruptiones, altera anno sexagesimo tertio, altera clarissima illa, qua Plinius maior occidit. Sed si duas eruptiones voluisset intellegi poeta, hoc indicavisset apposito adverbio 'iterum' vel propinqua notione addita. Neque per se verisimile est patrem circiter annum 79 Vesuvii eruptionem anno 63 factam cecinisse. Quid vero si indicis auctor non de illa eruptione cogitavit? si Vesuina incendia latentes ante eruptionem ignes esse voluit? Ne tunc quidem audiendus est: latentia enim incendia nequeunt intellegi propterea quod patriis gemitum damnis grammaticus impendit. Donec autem latent ignes, damno non sunt. Interpretationes

igitur cecidere, in verbis traditis vitium inesse apparet. Quae cum ita sint, lacunosum esse hunc locum facile opinor mihi concedems. Hoc autem potest dubitari quid illis versibus 207 et 208 fiat. Duae quantum ego video sunt viae quibus progredi licet. Aut statuendum est his versibus a poeta in margine sui exemplaris adscriptis genuinos expulsos esse — id quod artificiosius esset quam ut credi posset — aut cum sequentibus coniungendi sunt versus illi. Sed res in lubrico versatur nec certi quicquam ausim profiteri. Sin autem stat altera sententia, sequitur ex hoc loco, ut Statius eandem ac pater materiam tractaverit vel poema a patre cogitatum neque tamen perfectum revera pepigerit, quo sibi aditum quodammodo ad Heliconem aperuit. Quamquam ne hoc quidem verisimile. Meliora igitur alius excogitet, lubenter audiam atque accipiam.

Sed paululum subsistamus in epicedio patris. Inveteratus enim error expellendus est, quem nuperrime Italus ille Curcio (l. l. p. 7) repetiit neque obstitit Franciscus Skutsch[1]), qui in censura eius libri eiusdem de v. 178 sq. et 225 sq. hariolationes recte castigavit. A vero autem Domitius multo minus aberat quam Gronovius (diatr. I. p. 559) qui auctor illius erroris exstitit. Dico nimirum v. 141 sq. Patrem Neapoli ludis Augustalibus compluries vicisse poeta praedicat v. 139:

non totiens victorem Castora gyro
nec fratrem caestu virides plausere Therapnae.

Deinde pergit:

141. sit pronum vicisse domi: quid Achaea mereri
praemia nunc ramis Phoebi nunc gramine Lernae
nunc Athamantea protectum tempora pinu
cum totiens lassata tamen nusquam avia frondes
145. abstulit aut alium tetigit Victoria crinem.

sic locus exstat in libris. Cum vulgo interrogationis signum ponatur post v. 143 et ‚quin' scribatur v. 144 ex Heinsii coniectura, viri docti plerumque ex hoc loco colligunt Statii patrem Pythiis Nemeaeis Isthmiis vicisse. Pro Juppiter! quale miraculum Velia ortum erat! Tamen ubi accuratius totum locum contemplati erimus, cognoscemus aliquantum laudis bono Papinio esse demendum. Graecis enim certaminibus ter eum vicisse per se vix probabile est neque magis fit veri simile eo quod Koestinius (l. l. p. 506) filium cum patre Corinthi esse versatum

[1]) Berl. philol. Woch. 1894 p. 841.

odorasse sibi visus est. Videamus autem quae sit totius loci indoles. Concedit poeta in patria vincere non summi pretii esse, non testimonium esse sublimis ingenii: ex casu nimirum saepe pendet victoria. Quid autem est in Graecia vincere, cum continuata serie certaminum Neapolitanorum nullo pater non vicerit vel ut eandem sententiam affirmative exprimam: pluris aestimandum est continuo civibus suis placuisse quam semel in Graeco aliquo agone vicisse vel Pythio vel Isthmiaco vel Nemeaeo. An ex hoc enuntiato efficitur, ut ille revera Graecis ludis vicerit? Minime, immo contrarium: non vicit nisi domi, sed ibi compluribus ludis continuis non cecidit. Haec concludi posse ex hoc loco pro explorato habeo, nil aliud.

Sed quoniam ad hunc locum nos applicavimus, licebit etiam paucis versibus post supervacaneam abicere coniecturam Marklandi, cui nimis pronas hic aures praebuit Baehrensius. Rem ipsam iam Henricus Müllerus (l. l. p. 49) notavit, sed complures locos omisit, quibus oblata occasione lectores fraudare nolim. Versu enim 147 asyndeton vere Statianum — conferas sis Mülleri exempla — cur deleamus non video. Sed nescio quo modo Müllerum, qui idem aliis locis recte restituit, hic locus fugit. cfr. etiam V 2, 22. III 3, 40: Schaeferus (l. l. p. 40) asyndeton restituit eumque Lottichius[1]) secutus est. V 5, 45 Lundstroemius l. l. p. 51. poetae suum reddidit.

Ac ne in v. 175 sat caute egit Baehrensius, qui pro ‚*decepto*' ex sua coniectura ‚*despecto*' in textum recipere non dubitavit. Agitur autem de Sibylla Cumana quae

minas divum Parcarumque acta canebat
quamvis decepto vates non irrita Phoebo.

Quomodo autem Phoebum Sibylla deceperit, optime cognoscitur ex Ovidio, qui in metam. XIV 101—153 eius fabulam enarravit. Phoebus enim puellae Sibyllae amore captus ‚dum praecorrumpere donis' eam cupit, quid optaret quaesivit, votis solutis puellae amorem se assecuturum ratus. Sed spes eum fefellit. Petiit enim virgo ‚quot haberet corpora pulvis tot sibi natales contingere'. Prece autem peracta sprevit Apollinis amorem. Ergo non est cur ‚decepto' reiciamus.

Ex eis locis quibus nunquam requies datur videtur esse v. 171. Postquam Statius pater Neapoli ludum litterarium condidit, undique confluxerunt e magna Graecia — quoniam

---

[1]) Statius' Trostgedicht an Claudius Etruscus. progr. Hamburg. 1893 p. 7.

sic perperam *τὴν μεγάλην Ἑλλάδα* vertere solemus — qui eius disciplina uti vellent.

> 162. Quid mirum, si te patria petiere relicta,
> quos Lucanus ager, rigidi quos iugera Dauni,
> quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
> 165. Alcidae vel quos e vertice Surrentino
> mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi,
> quos propriore sinu lituo remoque notatus
> collis et Ausonii pridem laris hospita Cyme
> quosque Dicarchei portus Baianaque mittunt
> 170. litora qua mediis alte permixtus anhelat
> ignis aquis et operta domos incendia servant.

Singula interpretari non opus est, quia ipse poeta ut omnia clara atque manifesta essent provisit. Unum tamen non praetermittam: plane a vero aberravit Polsterus[1]), cum v. 166 pro ‚*virgo*‘ ‚*villa*‘ scribendum censuit. Quasi non toto Surrento, sed ex una Pollii villa — hanc enim vult ille subintellegi — venissent discipuli. Virgo est Minerva, de cuius in promunturio Minervae templo supra (p. 16) egimus. v. 170 possit aliquis induci ut ‚*medicis*‘, non ‚*mediis*‘ a Statii manu profectum esse statuat. Quam coniecturam ne probemus prohibet I 2, 10: <Elegea> ‚medias fallit permixta sorores‘. Sed haec quasi per *παρέκβασιν*: de v. 171 disputaturi eramus. Variis enim medicinis per quattuor saecula hunc locum sanare voluerunt viri docti: nemini prospere res cessit. Sanus enim est locus atque explicationis potius indiget quam emendationis. Longum est varia virorum doctorum conamina enumerare, quae eo magis transiliri possunt, quod ne minimum quidem lucrum inde capitur. Incendia operta scilicet dicta sunt de ignibus subterraneis sicut v. 205. Statius ‚*incendia*‘ de erumpentibus ignibus dixit, cf. II 6, 62. Qui si quando erumpunt, delent domos. Ergo donec non erumpunt, non delent domos, h. e. servant domos: *αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον* more familiarissimo poetis.[2])

Atque quoniam Statii defensor exstiti, in hoc munere exigendo subsistam paululum et nonnullis locis sua ei reddere conabor. Patrem mortuum ab inferis redire vult poeta: V 3, 271:

> si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
> causa minor; si Thessalicis Admetus in oris
> silua una retro Phylaceida rettulit umbram:
> cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua manes

[1]) quaest. Stat. IV p. 5.
[2]) Gronovius diatr. I p. 360.

275. aut mea? fas mihi sit patrios contingere vultus,
fas iunxisse manus, et lex quaecumque sequatur.

Ingeniosissima est Heinsii coniectura qua v. 273 unius litterae mutatione restituit: ‚*si lux una retro etc.*' Neque probabilitati obfuit quod oblocutus est Koestlinius.[1]) Qui locum adeo non intellexit ut Phylaceida umbram de Admeto vel de Alcestide dici putaret: de Protesilao ceteri rectissime acceperunt. In versu igitur 273 restituendo plane consentio cum Heinsio, tamen ille imminuit probabilitatem coniecturae suae eo quod v. 272 supervacanea, immo intolerabili mutatione ‚*si Thessalicas Admeton in oras*' scribendum censuit lacunamque post hunc versum statuit — Baehrensius vero hoc adnotare omisit. necessariam esse ullam mutationem negavi: suppleas modo ex verbo ‚rettulit' verbum substantivum ‚fuit': salva est sententia: si Thessalicis Admetus in oris fuit h. e. vixit, si lux una Protesilaum reduxit ad vivos, cur ego hoc non potero impetrare a Dite? Atque notissimum est Statium saepe verbum substantivum omittere, etiamsi non copulae solam vim habet, ubi vel antecedit vel sequitur verbum quod eadem forma positum est, qua illud desideratur. Conferas exempli gratia: IV 3, 160: ‚donec Troicus ignis <erit> et renatae Tarpeius pater intonabit aulae.' I 3, 24: ‚litus utrumque domus[2]) <est> nec te mitissimus amnis dividit.' ut aliis exemplis, quorum magnus numerus exstat, afferendis supersedeam.

Denique Schwartzii (l. l. p. 13) coniecturam refutare libet qui v. 259 ‚*demisit*' censuit scribendum esse pro eo quod traditum est: ‚*praemisit*'. Ubi non praematuram, sed nimis lentam mortem ait esse intellegendum. Hoc rectissime contendit, sed id ipsum inest in verbis traditis. Nam si quis senio confectus tabescit, corpore infirmo fere iam mortuus est, licet sit adhuc inter vivos. Hoc autem est illud: *membra praemisit sepulcro*. Hanc autem interpretationem veram esse ipsa poetae verba docent: *membra praemisit instanti sepulcro.*

Sed iam missum faciamus epicedion patris: in proxima ecloga lepidissimam et politissimam sententiam vulgo foede corrumpunt. De versu 11 Adrianus (l. l. p. 25) de versu 14 Rossbergius[3]) post Barthium recte iudicavere. Sed v. 10 nemo Statio suum vindicavit: suam quisque sententiam poetae obtrusit minimo sane vel potius nullo cum fructu. Morbo fessus iacet poeta atque noctes insomnis agit: V 4, 7:

---

[1]) qui ‚*salvam urna tetra*' coniecit l. l. p. 522.
[2]) corr. Lipsius. cod. *domi*.
[3]) Fleckeiseni ann. CXXXIII (1885) p. 144.

septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque renident
lampades et totiens nostros Tithonia questus
praeterit et gelido spargit miserata flagello.

sic ultima verba exstant in libris manuscriptis. Neque ab eis recedendum esse existimo. Ex ‚*nostros questus*' suppletur facillime ‚me'. Quid autem est quod gelido flagello dispergit Aurora? Rorem nimirum fingitur excutere flagello. Id quod te docebit Cicero in prognosticis (de div. I 8, 14): ‚gelidos rores Aurora remittit', ut unum tantum afferam testimonium. Atque lepidissimam esse sententiam vix quisquam infitias ibit. Aurora poetae febri laboranti et insomnia hoc solum indulget, ut matutino frigore paululum reficiatur. Quid autem illi cum flagello? A Sole hoc sumpsisse poetam coniecerim, quanquam hanc sententiam pro certa venditare non audeo. Contra vide quae cum ceteris Baehrensius elicuerit! Omnino intellegi non potest Schraderi coniectura quae illi probata est, nisi addita alia quadam mutatione: id quod ex Baehrensii et Polsteri[1]) conaminibus optime elucet.

Iam V 1, 11 et IV 8, 32 coniunctim tractare in animo est, quoniam eadem agitur res. Vulgo enim utroque loco legitur superlativus ‚carissimus', in libris autem exaratum est adiectivum: ‚rarissimus'. Quam sententiam nuperrime probavit Henricus Müller (l. l. p. 55).

V 1, 11: laudati iuvenis rarissima coniux
IV 8, 32: iuvenum rarissime.

Proficiscendum autem est, ex alterius libri praefationis lin. 25. Ubi in libris ‚*carissima*' extare adnotavit Baehrensius. In Matritensi autem exstat ‚*rarissima*', quod altera manus correxit in ‚*carissima*'. Atque ‚carissima' nullo pacto aptum est. Ergo primae manus lectio revocanda est: ‚rarissima'. ‚clarissima' quod vulgo editur, e coniectura Politiani ortum est, qui ‚carissima' ab hoc loco alienum esse sensit. Hoc igitur loco Pollam rarissimam uxorum appellavit poeta. Cur aliis locis hoc adiectivum expungamus?

Ac ne de IV 4, 92 quidem Baehrensium bene egisse concedo. Sed excusandus est ille ut alibi ita hoc loco. Nam vetere illo de Politiani notis errore occupatus verum videre non potuit. Tamen postquam Bonnetus[2]) et Skutschius (l. l. p. 469 sq.) temperata Goetzii[3]) sententia hanc caliginem quoad

[1]) quaestiones Statianae I. progr. Wongrowitz 1878 p. 5.
[2]) rev. de philol. XVI (1893) p. 185 sq.
[3]) ind. lect. Jenens. 1884. Nil autem egit Lundstroemius, qui l. l. p. 1—19 eis obloquitur.

fieri potuit disperserunt, de hoc quoque loco rectius licebit iudicare.

Thebais optato collegit carbasa portu
Parnasique iugis silvaque Heliconide festis
tura dedit flammis et virginis exta iuvencae
votiferasque meas suspendit ab arbore vittas.

quo loco sine dubio librorum lectio est revocanda quae est: *votiferaque.* Neque enim a qualibet arbore potuit vittas suspendere poeta. Est autem notissimus mos dedicationes ab arboribus sacri alicuius luci suspendendi.

Eandem habet Baehrensius excusationem in v. 87 viae Domitianae (IV 3). Volturnus longa oratione imperatori grates agit v. 85 sq.

et nunc limite me colis beato
nec sordere sinis malumque late
deterges sterilis soli pudorem,
ne me pulvereum gravemque caeno
Tyrrheni sinus obruat profundi etc.

Hanc librorum memoriam ad litteram retineri velim. Ac primum v. 87. putorem in textum recepit Baehrensius secundum A. Qua in re male egit. Librorum enim lectio optime defendi potest. Pudorem sic explico ut significet id quod pudori est: nam puduit fluvium sordis et caeni, id quod ipse dicit v. 84; cf. etiam III 1, 167. Quamquam si quis ‚*putorem*' scribere vult, habeat sibi. Sed utut id est, defendi sane potest: pudorem. Transeamus ergo ad v. 89. ‚*obruat*' exhibent libri secundum Baehrensium, ad editionem Romanam adscriptum est: *obluat.* Notum est saepissime litteras ‚l' et ‚r' in silvarum codicibus confundi. Baehrensius autem nisus lectione A ‚abluat' coniecit. Quod recte refutavit Stangius (l. l. p. 27), quem inspiciendum, non exscribendum censemus. Tamen ipse e sua coniectura proposuit: ‚*abnuat*' diffisus nimirum suae verbi ‚*obluat*' interpretationi — hoc enim verbum in libris exaratum esse contendit neglecta Baehrensii adnotatione critica. Sed a tradita lectione ‚*obruat*' minime esse recedendum mihi quidem pro explorato est. Obruit autem mare fluvium arenis obiectis quae in flumine rapiuntur. Quo perspecto iam sequentia rectius licebit cognoscere. Brandesii enim transpositionem — hunc autem ordinem versuum restituendum censuit: 87. 90. 91. 88. 89. — quamquam minime Stangius refutavit, si ‚*obruat*' retinemus, etiam hac medela libenter carebimus. Haec nimirum

praedicat fluvii numen: tibi, imperator, debeo quod non obruor caeno. Quae verba haud scio an subsequi possint proximi versus — sicut in asserendis exemplis paulo neglegentiorem poetam fuisse iam supra (p. 23) adnotavimus —

qualis Cinyphius tacente ripa
Poenos Bagrada serpit inter agros.

conferas Lucani locum (IV 587): Curio

primaque castra locat sano procul aequore, qua se
Bagrada lentus agit siccae sulcator arenae.

Quos versus sic imitatus est Silius Italicus: VI 140:

turbidus arentis lento pede sulcat arenas
Bagrada, non ullo Libycis in finibus amne
victus limosas extendere latius undas
et stagnante vado patulos involvere campos.

Uterque locus optime Statii verba illustrat. Nihil restat nisi ut de tacente ripa paucis agam. Stangius quidem in commentario sicco pede transilit difficultatem ita ut Ritschelii illud facete dictum de continuis commentariis in mentem nobis revocet[1]). Peyraredus autem ‚*iacente*' scripsit pro ‚*tacente*' quod quanquam Baehrensio arrisit, quid sibi velit non video. Neque magis placet Schraderi coniectura ‚*latente*'; hoc esset cuius ripa non cognoscitur. Nihil omnino mutandum esse censerem, si Lucani locus V 443 nostro prorsus similis esset. Verba autem sunt haec: *saeva quies pelagi maestoque ignava profundo stagna tacentis aquae etc.* Hinc si quis collato Theb. IV 51 cum Grasbergero (l. l. p. 774) tacentem ripam eam esse dicet, cui aqua non obstrepit, nil contra dicam. Tamen elegantius certe scriberetur: ‚*patente* ripa': ita ut fluvius ripas non constitutas, sed varias quoquo versus habere intellegeretur, quas pro libidine transgredi fluvio patulos campos inundanti licet. Tamen concedo aliquo modo traditam lectionem posse defendi.

Temere Cornelissenum (l. l. p. 283) cum alibi tum de II 4, 20 egisse statuerim, ubi vocem *perdix* tentavit. Cornicem autem pro perdice putat Statium scripsisse. Non dico quod iam multi ante eum in eandem coniecturam inciderunt, id quod plane eum fugit. Tamen videre potuit refutatam esse suam coniecturam iam a Bernartio, qui de perdicum sonu *κακκαβίζειν* dici affirmavit cl. Ath. IX 389[d]. 390[a]. unde Graecos avibus illis linguam tribuisse apparet. Mihi vero sufficit unus Ovidius

[1]) cf. Ribbeck, F. W. Ritschl. I. p. 65.

qui idem probat met. VIII 337: *garrula limoso prospexit ab elice perdix.* Perdicem enim Daedali sororis filium invidia a Daedalo de arce Athenarum deiectum et a Minerva ‚quae favet ingeniis' exceptum in avem mutatum esse narrat.

Baehrensius quod II 1, 78 a vulgata lectione recessit, haud felici Minerva fecisse videtur. Haec autem fere poeta dicit: a Meliore tibi Glaucia, domus, hinc ortus, dominique penatibus olim

> carus uterque parens atque in tua gaudia liber
> ne quererere genus raptum sed protinus alvo
> sustulit — dominus.

Sic hi versus exstant in libris. Atque parentes pueri ante ipsum partum manumissos esse ne puer servus nasceretur quis non videt? Inde autem sequitur ut perperam interpunxerit graviter Baehrensius in fine v. 77: post vocem ‚*genus*' v. 78 punctum ponendum est. Atque falsa sua distinctione adductus quae sana ab omni parte sunt, in dubitationem vocavit. De postposita particula ‚sed' nihil est quod longius disseram. cf. Grosse l. l. p. 44.

Defensorem desiderat Statius etiam I 6, 27. Wachsmuthius (l. l. p. 24. adn. 1) enim, qui de reliquo carmine optime meruit, hoc loco mihi videtur paululum erravisse cum ‚*hic*' scribendum censeret pro ‚*hi*'. Dicit autem poeta fere haec: pluvias minetur Iupiter; eas non timebimus dummodo hi imbres nostri Iovis de caelo delabantur. Si vero ‚hic' legimus, haec exsistit sententia: toti orbi deus minetur pluvias, dummodo hic h. e. Romae in amphitheatro nostri Iovis imbres ferantur. Hac autem lectione probata si recte sentio manifestum non est, cur Iupiter minetur tantummodo imbres, non demittat in cetero orbe. Quod si traditam lectionem retinemus in propatulo est.

In fine v. 62 eiusdem carminis temerariam Cornelisseni (l. l. p. 281) coniecturam refutare in animo est. Nam cum alibi Virtutem cruentam dici negaret, proposuit ‚*cruenta Virgo*' Iubet autem Bellonam intellegi. Ac primum quidem cur epitheton Virtuti non sit aptum non video. Deinde Bellona ‚*cruenta Virgo*' appellari nullo modo potest; nunquam enim proprie Virgo audit Bellona apud poetas Romanos. cf. R. Berge, de belli daemonibus qui in carminibus Graecorum et Romanorum inveniuntur diss. Lipsiae 1895. p. 19 sq. Virgo autem esset sine dubio Minerva cf. e. g. Ov. met. IV 754. Val. Flacc. III 88. Vir-

tus vero Martis comes est aeque ac Bellona; conferas: Theb. XI 422. VII 702. Sil. It. V 126. Plaut. Amph. 47.

Quoniam de Kalendis Decembribus modo verba fecimus, breviter absolvamus quae de v. 70 sq. nobis videntur esse proferenda.

hoc plaudunt grege Lydiae tumentes,
illic cymbala tinnulaeque Gades.

Ubi ne apicem quidem mutandum esse iudico. Vulgo autem secundum Marklandi coniecturam scribitur v. 71 ‚*illo*', qua mutatione optime carere possumus. Prorsus autem aberravit a vero Otto (l. l. p. 373), cum ‚*hic*' — ‚*illic*' proposuit, quae coniectura refutatione non digna est.

Porro male tentatus est a viris doctis meo quidem iudicio Epithalamii (I 2) v. 130 sq. Violentillam

si Thessalicos vidisses, Phoebe, per agros
erraret secura Daphne; si in litore Naxi
Theseum iuxta foret haec conspectacubile,
Gnosida desertam profugus liquisset et Euan.

sic ex Tollii et Baehrensii coniectura nunc legitur. In libris autem exstat v. 131: *Daphnes in*. Offendit in Baehrensiana lectione unus quod sciam Sandstroemius (l. l. p. 10) et recte offendit, si quid in me iudicii est. Nullius autem momenti est quod epitheton ‚*profugus*' aptius Theseo dari statuit. Nam si Bacchus Ariadnen deseruisset, item profugus factus esset. Neque hoc dixit ille, nisi ut suam coniecturam commendaret nobis, ad rem nihil ista conferunt. Sed hoc rectissime videtur contendisse sensui obesse verba versus 132 ‚*Theseum iuxta cubile*', nempe si Baehrensium sequimur. Quomodo enim Ariadnen prope Theseos lectum conspicere potuit Bacchus? Dicendum fuit poetae si totius loci sententiam spectamus, hunc fere in modum: Theseus si Violentillam ex Creta secum duxisset, hanc non sprevisset. Atque Sandstroemius quidem, ut expungeret mendum quod hoc loco latere recte cognovit, v. 133 scribendum esse coniecit pro ‚*profugus liquisset*': ‚*profugo laudasset*'. Sensus tum nimirum est hic: si Theseus Violentillam in litore Naxi deseruisset, Bacchus laudasset quod ille fugit. Tamen poetae sententiam minime ille assecutus est. An Ariadne deo non placuit? Nonne etiam Gnosida desertam laudavit profugo? Quamobrem quin improbem Sandstroemii opinionem facere non possum. Accedit quod multo simpliciore medicina Statio suum reddi posse mihi persuasum est. Videamus igitur traditam lectionem:

in litore Naxi

Theseum iuxta foret haec conspecta cubile.

Nonne optime quadrat haec sententia? Non subest quod dicendum fuisse supra dixi? nempe hoc: hanc Theseus non deseruisset. Ac iam sequentia mihi contemplari velis:

Gnosida desertam profugus liquisset et Euan.

h. e. Ariadnen deseruisset etiam Bacchus, scilicet si Violentillae formam atque pulchritudinem cognovisset. Optime igitur hi versus sese habent. Restat initium versus 131:

erraret secura Daphnes.

ubi cum nominativus ‚Daphne' utique efflagitetur traiectis vocibus ‚secura' et ‚Daphne' res est expedita. Atque haec lectio invenitur iam in editione Veneta anni 1494. nec non regnavit in editionibus quae vulgatum textum exhibebant. Testimonium autem pristinae collocationis verborum est littera ‚s' quae afflata est Daphnae a voce sequente. Atque ne haesites in elisione quae fit in caesurae sede: conferas e. g. Theb. III 363: quinquaginta illis heroum immanibus umbris. ib. VI 154 (147 Kohlm.): non regem dominumque alienos impia partus. al. Hoc quoque obiter monuerim proposita lectione Statium accommodari ad communem poetarum Latinorum usum qui — excepto uno quod meminerim Petronio c. 131 — in vocibus ‚Daphne, Daphneus, Daphnis' sim. primam syllabam producunt. — Quibus de causis, ut in fine disputationis complectar totius summam, sic hunc locum legi velim:

hanc si Thessalicos vidisses, Phoebe, per agros
erraret Daphne secura; in litore Naxi
Theseum iuxta foret haec conspecta cubile;
Gnosida desertam profugus liquisset et Euan.

Quamquam igitur multis locis traditam lectionem defendendam esse vidimus, tamen longe a vero eos aberrare haud nescio qui codices adorant. Qui ne in Statio quidem defuere. Sed rectissime Vollmerus (l. l. p. 34) nuperrime dixit: ‚dass hier (scilicet in silvis) die Überlieferung möglichst zu wahren und nur ganz schonend zu ändern ist.' Atque extare in silvis haud paucos locos qui adhuc manum emendatricem desiderent, constat, ubi aut vitium nondum cognitum est aut violentius quam verisimilius expulsum est. Quo ex numero si nonnullis medicinam ut afferrem mihi contigit, hunc fructum copiosissimum laborum meorum habebo.

Atque inter locos de quibus parum recte iudicavere viri docti est *balnei Etrusci (I 5) v. 4.* Ex sua consuetudine

poeta in prooemio suis ipsius viribus quasi diffisus deos sibi arcessit a quibus adiuvari vult, ceteros dimittit. Atque hac occassione ei dei qui alibi proprie ut vatum patroni invocantur: Bacchus, Apollo, Mercurius cum Musis feriati abire iubentur; alios poscunt carmina coetus: Naiades nempe et Volcanum. De Mercurio autem v. 4. haec dicit poeta:

> tu quoque muta ferae, volucer Tegeae sonorae
> terga premas.

In quibus verbis etiamsi multi iam viri docti haesere, tamen verum mihi nondum inventum esse videtur. Atque quin illa quam exscripsi lectio fuerit in Sangallensi, dubitatio non potest exsistere: pro certo hoc evincitur et consensu librorum et eo quod Politianus in epistulis (VI, 1) idem legit. Ab hac igitur lectione esse proficiscendum nemo infitias ibit. Propterea statim ab initio reiciendum est et quod in Domitii editione exstat: ‚*tuque inimica ferae etc*' — prorsus hoc ab huius loci sententia abhorret — et quod Morellus inde elicuit: ‚*tu quoque amica ferae etc.*' eleganti quidem coniectura quae tamen firmo fundamento careat. Ac ne Marklandus quidem qui ‚*tuque o muta ferae*' coniecit, rem bene administravit. Mendum enim quaesivit, ubi non est, ubi est, non quaesivit. Primum quidem id quod recte perspexit Henricus Müller (l. l. p. 14 adn.) plane contrarium dicitur eius quod poetae in mente est. Premendi enim verbo quae h. l. insit vis, elucet ex Propertio II 1, 10: *miratur, faciles ut premat arte manus* (nempe ad lyram). Lyram igitur premere est idem atque fidibus canere. Tamen quod Müllerus excogitavit:

> tu *neque* muta ferae — terga premas

minime arridet. Nam perspicuitas orationis deletur hac coniectura, quoniam primo obtutu nesciri potest, quonam negatio spectet; sitne referenda ad adiectivum ‚muta' an ad verbum. Alteram offensionem tetigit Guilelmus Waller (l. l. p. 11). ‚*Muta*' enim plane supervacaneum esse neque apte coniungi cum ‚*sonorae*' voce recte animadvertit. Tamen illius coniectura violentior est quam ut probari possit. Proposuit autem hoc: ‚*tuque invita* ferae etc.' Accedit quod alterum mendum non cognovit. Optime vero meo iudicio procedit oratio si ‚*tuta*' scribimus pro ‚muta', qua mutatione lenissima omnes quas viri docti notaverunt offensiones tolluntur. Sensus erit hic: tu quoque, Mercuri, tutus a me fidibus canas. Non tam crudelis est Statius neque tam

arrogans ut Mercurium tacere iubeat nisi sibi serviat. Dimittit eum donec aliis adiutoribus utitur.

Leni correctione nobis videtur opus esse versui 57 *Kalendarum Decembrium* (*I 6*). Inter convivii fremitus luxusque

52. spectandi levis effugit voluptas:
stat sexus rudis insciusque ferri
et pugnas capit improbus viriles.
55. credas ad Tanaim ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

versu 52 a veritate plane abhorret coniectura Baehrensii [1]) ‚affuit'. Adeo enim convivas in cena occupatos esse dicit poeta ut spectandi levis voluptas eos paene fugiat. Deinde quod traditum est ‚*stat sexus*', haud scio an explicari possit. Non apparet, sed subito adest; vernacula lingua: da steht auf einmal da. v. 54 ex editionibus vulgaribus recipiendum esse censeo ‚et'. Rem neque explicavit neque intellexit Stangius (l. l. p. 35). Quid ‚pugnas dare' sit — coniecit enim ‚dat' pro ‚stat' — minus etiam perspicitur quam quid ‚pugnas capere', Sed hoc nunc quidem in suspenso relinquendum est. — Post mulierum pugnas pumilionum proelia describuntur. Utrumque ludorum genus ab imperatore editum est. Quam ob rem mihi considera meliusne legatur v. 57. pro ‚hic' ‚*hinc*'. Neque enim habet illud ‚hic' quo spectet, postquam Baehrensii lectionem sprevimus. Adde quod non eodem tempore atque mulieres pumiliones productos esse, sed post eas verisimile est.

Ad notissimam de Semeles morte fabulam Statius adludit *II 1, 97 sq.*

quid referam altricum victas pietate parentes?
quid te post cineres deceptaque funera matris
tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?

Decepta funera matris quid sint, non intellegitur nisi epitheton per ἐναλλαγὴν translatum esse statuimus cum Marklando. Certe nil agit Lehanneurius (l. l. p. 86) cum ‚*despecta*' legendum esse conicit. Quae corruptela absit a Statio! Accedit alterum quod miror Marklandum qua erat elegantia et urbanitate non cognovisse. Funera enim et plane idem valent h. l. atque ‚cineres' et inepte post cineres h. e. post concremationem commemorantur. Atque Marklandus quidem ‚fulmina' vel ‚fulgura' coniecit congesta nube exemplorum quibus genetivus ‚matris' non explicatur. Sed leniore

---

1) mus. Rhen. vol. XXVIII (1873) p. 254.

mutatione etiam meliorem sensum effici posse persuasum habeo. Poetae enim verba invenisse nobis videmur cum scribimus: deceptaque *munera* matris. Decepta autem munera sunt decipientia matrem, sicut recte participium explicavit Marklandus. Cui coniecturae ego si Koestlinius essem allitterationem summo opere favere dicerem. Sed et ipsa mihi non sine veritatis specie esse videtur.

Disputare iam libet de II 1, 138. Glauciam puerum summas Atedii Melioris delicias fuisse praedicat poeta; sed

137. subitas inimica levavit
Parca manus. quo, diva, feros gravis exseris ungues?

Miratus sum magnopere cum hoc loco ‚angues' quod traditum est in fine v. 138, cognovissem defendi ab Henrico Müllero (l. l. p. 54), qui Parcas et Furias confudit. Parcas enim anguibus exornatas esse demonstrare studet collatis II 1, 184 sq. et Theb. XII 647. Quibus locis non Parcas, sed Erinyas dici ipsa re patet. Hae enim cum Cerbero Tartari portas custodiunt. cf. III 3, 25:

> felix, heu nimium felix! plorataque nato
> umbra venit: longe Furiarum sibila longe
> tergeminus custos, penitus via longa patescat
> manibus egregiis.

praeterea conferas V 3, 277:

> at vos, umbrarum reges Enneaque Iuno,
> si laudanda precor, taedas auferte comasque
> Eumenidum: nullo sonet asper ianitor ore etc.

adde Tib. I 3, 69 sq. al. angues igitur nullo modo recte se habere posse satis demonstratum est: Meursii propositum ‚ungues' pluribus commendare non opus erit. Sed aliud exstat quod velim ne praetermittatur. Recte enim videtur mihi sensisse Cornelissenus (l. l. p. 283) voce ‚*diva*' non apte hoc loco appellari Parcam, cum plane non perspiciatur quae sit singularis huius epitheti vis. Quamobrem ‚*dira*' scribi iussit. Quanquam hoc adiectivo Parca nullo pacto significari potest. Eumenides enim vocantur ‚*dirae*'; Parcae vero saepissime audiunt ‚*durae*' cum apud alios poetas tum apud ipsum Papinium: cf. II 3, 75. V 1, 156. Theb. III 205. 491. VI 48. 303. VII 774. Ach. I 519 al. Inde fit verisimile, hoc quoque loco ‚*dura*' scribendum esse. Quae coniectura certe verior est quam Cornelisseni. Accedit quod in codice Matritensi nunquam fere titu-

lus supra litteram „i' adpictus est; plerumque autem altera manus eum addidit.

Transeo iam ad *II 3, 16*. Pholoe nympha Panem effugere conatur persequentem, sed in monte Caelio

victa labore
fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti
stant sine fraude lares flavos collegit amictus
artius et niveae posuit se margine ripae.

Quae de versu 17 disputanda sunt, in praesens differamus. Sed de v. 16 pauca adnotare velim. Versus ille sic ut eum exscripsi exstat in codicibus. In quibus verbis iam Italis offensioni fuere flavi nymphae amictus. fluidos ei dare maluerunt. Quam coniecturam nuper probavit Schaeferus (l. l. p. 37). Sed et admodum recedit a litteris traditis neque ipsa probabilitatis speciem prae se fert. Fluidae enim vestes vel fluentes non passas, sed delabentes significant. Atque hae minime aptae erant fugienti nymphae. Sed traditam lectionem stare non posse libenter concedo. Neque enim unquam flavae vestes dicuntur, si Blümnerus (l. l. p. 105—113) omnia testimonia collegit, neque perspicitur cur flava potissimum nymphae dederit poeta vestimenta. Quae cum ita sint, emendationem hunc locum flagitare vix quemquam arbitror negaturum. Atque suadeo ut scribatur: *glaucos*. Glaucum enim dicitur quidquid cum mari vel fluminibus eorumque numinibus cohaeret cf. Blümner l. l. p. 144 sq. Unum locum exempli gratia afferam I 3, 70 ubi Anieno Anienis fluvii deo glauci amictus tribuuntur. cf. etiam Hosii ad Aus. Mos. 170 notam.

Contigit Dianae adiutrice Pholoe ut in fontem ruens pecorum deo elaberetur.

quid faceret subito deceptus praedo? nec altis
credere corpus aquis hirtae sibi conscius audet
pellis et a tenero nandi rudis. omnia questus
immitem Bromium stagna invida et invida tela,

quid fecerit nihil ad nostram rem. De Bromio enim inquirere constituimus. Atque quin Baccho non sit locus, inter sanos homines dubitari nequit. Neque melius quadraret „Bormus' rusticus aliquis deus, quem ex Ellisii[1]) sententia conquestus est Pan. Borimus autem audiebat, quoniam apud Pollucem (V 54) sic vocatur. Atque apud Apollonii Rhodii scholiastam in co-

---

[1]) journ. of philol. V (1874) p. 263.

dice Laurentiano *βαρυνον* exstat quod propius abest a *Βώριμον* quam a *Βῶρμον*. Recte hanc coniecturam respuit Lundstroemius (l. l. p. 68). Dianae enim mentionem fieri prorsus necessarium est. Sed non Triviam cum Sandstroemio (l. l. p. 20) reponemus neque quod nuperrime Lundstroemius proposuit l. l. ‚Bromiam'. Nusquam enim hoc epitheton Dianae vel — id quod idem valet apud Statium — Hecatae occurrit nisi in hymno quodam Orphico (36, 2), sed non ut nomen deae sit, verum ut cultus epitheton. Vocem autem tam remotam a poetarum suppellectile Statione licet obtrudere? Recte hanc coniecturam quamvis splendidam neglexit Skutschius[1]) in recensione libelli Lundstroemiani. Sed quod Scaligeri coniecturam violentiorem dicit Lundstroemius quam ut accipi possit: lenior fit si accusativum: *Brimon* scribimus ad similitudinem accusativi ‚echon' qui occurrit IV 3, 63. cf. Bücheler, Mus. Rhen. XLIII (1888) p. 295. Abiit igitur: ‚Brīon' in ‚Brōiū'.

Iam tractaturus sum *Propemptici* quod Maecio Celeri scripsit Statius (III 2) versum 30. Lepidissime poeta Nereidas iubet amici navem exornare et ad proficiscendum praeparare. Huius navis

utrumque latus molli praecingite gyro
partitaeque vices vos stuppea tendite mali
vincula, vos summis adnectite sipara velis,
vos Zephyris aperite sinus; pars transtra reponat,
pars demittat aquis curvae moderamina puppis;
sint quibus explorent primos gravis arte molorcos
quaeque secuturam religent post terga phaselon etc.

Quae ad v. 30 priores coniecere, vix operae pretium est repetere, cum nemo fere sententiam perspexerit. Verum unice est quod olim latere viderat Ianus Rutgersius, nuperrimeque in idem incidit Eduardus Schwartz (l. l. p. 16); perperam enim verba in libris disiuncta esse cognoverunt et ‚artemonem' revocavere. cf. eximium illum Breusingii librum cui inscribitur: Die Nautik der Alten p. 79. Quorum argumenta si repeterem, ligna in silvam ferre mihi viderer, praesertim cum Vollmerus (l. l. p. 39) qui novissime de hoc loco egit, eidem rationi institerit. Restat autem emendandum monstrum illud ‚*lorcos*' pro quo Schwartzius: ‚*lintres*,' Vollmerus: ‚*lembos*' coniecere. Utrumque propositum ut sensui optime satisfacit — nisi forte quis non artis illa vocabula fuisse contendit — ita haud scio an longius

---

[1]) Berl. philol. Woch. 1894 p. 1514.

absit a litteris traditis. Quae cum ita sint, feliciter accidit ut ex Isidoro (orig. XIX 1, 19) sciamus quo nomine a nautis illae de quibus h. l. agitur naviculae, sint appellatae. Dicit enim haec: *barca est quae cuncta navis commercia ad litus portat.* Ergo etiam commercia a litore ad navem portat. Quare commotus ego propono ut scribatur: versus sic: *sint quibus exploret primas gravis artemo barcas.* Sententiam autem recte Vollmerum interpretatum esse censeo. Neque vile huius coniecturae adminiculum est quod eadem voce nostris quoque temporibus illi lintres vocantur.

Deinde V 1, 101 lenis remedii mihi videtur indigere. Exaratum enim est in libris:

> cunctaque si numerem, non plura interprete virga
> nuntiat — ales Tegeaticus etc.

ubi ‚enumerem' a poeta esse profectum in propatulo est. Neque enim si quis quid numerat, hoc nuntiat. In elisione autem ne haereas, cf. Lundstroem l. l. p. 74.

Porro de versuum V 3, 41 sq. indole in universum dicere nunc supersedeo; conferas quae de hoc loco nuperrime disseruere Leo (l. l. p. 13) et Vollmerus (l. l. p. 41), quorum controversiam disceptare nunc quidem non libet. Parvum quidpiam sumo quod mihi nondum illi videntur ab omni parte bene administravisse. Versu enim 45 ‚*sume gemitus*', cum aperte sit corruptum metrum, variis rationibus viri docti lacunam expleverunt. Recte Leo l. l. ‚*sume hos gemitus*' verius esse dicit quam ‚*sume et, sume o, sumas, sumes*' — quod non a Sudhausio primo inventum est —. Sensui quidem unice sufficit illud, quod Marklandus proposuit, Leoque probavit. Sed haud scio an lenius huic loco mederi possimus. Eundem enim sensum assequimur si ‚*sume en!*' scribimus. In archetypo exaratum fuit: sume ē: pro duplici littera ‚e' una substituta est, qui error saepius in silvis occurrit. cf. e. g. III 1, 30, ubi: uenies exstat in codicibus, h. e. nemes pro ‚Nemees', vel ib. 128 Capre pro Capree = Capreae vel 15, 4. ‚tegees honore' pro Tegeęe sonorę V 2, 48: Nemea pro ‚Nemęea. Inde si quis V 3, 127 ex ‚Sele' ‚Elee' elicere velit haud vituperabo.

Disputatiunculam criticam finiam loco *epicedii* quod est *in puerum (V 5)*, de quo non ab omni parte Lundstroemius (l. l. p. 52) rem absolvisse mihi videtur. Dico v. 46. Textus post hunc versum Baehrensio videbatur hiare, quam sententiam probavit Leo (l. l. p. 15). Sensum autem non hiare

optime demonstravit Lundstroemius cuius doctam de hoc loco disputationem exscribere nolo.

nunc tempus, amici,
quorum ego manantes oculos et saucia tersi
pectora, reddite opem, saevas exsolvite grates,
nimirum cum vestra domus ego funera maestus
increpitans, qui damna dolens aliena repone
infelix lacrimas et tristia carmina serva.

sic scripti sunt ei versus in libris. v. 46 — 48 hunc in modum restituisse sibi visus est novissimus huius eclogae editor:

nimirum cum vestra domus ego funera maestus
increpitans, cum damna dolens aliena repono
infelix lacrimas et tristia carmina servo.

atque sic interpretatus est: jetzt Freunde, ist es Zeit, helfet mir, beweiset mir den traurigen Gegendienst, jetzt da ich ja mitten in meiner Sängerbahn, während ich die Trauer andrer singend zu erleichtern suche, bei meinem eigenem Unglück keine Thränen und keine Lieder habe. Rem bene cognovit, sed unum est quod in hac explicatione desideratur: omisit enim vocem ‚*domus*’, nimirum propterea quod eam non potuit explicare. Atque bene fecit quod hoc ne periclitatus quidem est. Nequit enim omnino enarrari quae sit h. l. illius vocabuli notio. Nam *funera vestra domus* vix quisquam coniunget. Dicendum tunc fuit: *funera vestrae domus.*’ Atque ‚funera vestra’ plane sufficit ad poetae sensum exprimendum. Quibus de causis vocem ‚domus’ in suspicionem voco. Atque consideranti mihi quotiens voces ‚domus’ et ‚modus’ a librariis sint commutatae — exempla huius erroris quae innumera fere sunt, ascribere vix opus erit — ne audacior videar, vix vereor si pro ‚domus’ ‚*modis*’ conicio. Quod si probabitur, facile concedes in fine versus ‚*maestis*’ esse scribendum. Quibus mutationibus si quid in me iudicii est, sensus non plane intolerabilis elicitur e verbis, quae aperta corruptela laborant.

Sed iam finem imponamus disserendo, ne superet solitum modum nostra disputatio. Etiamsi non ubique applaudes mihi, tamen hoc concedes accurata interpretatione plus in silvis Statianis collucandis criticum assequi posse quam temeraria coniectandi libidine. Atque in hoc acquiesco.

Index locorum.

Addendum.

Quae Ludovicus Ziehen nuperrime in Fleckeiseni ann. CLIII (1896) p. 132 de II 2, 30 sq disputavit, minime probo, cf. supra p. 23, sed in praesens de eis disputare nolo.

Auctoris vita.

Natus sum Alfredus Klotz Zittaviae in oppido Lusatiae a. d. XVII. Kal. Iul. anni h. s. 74 patre Ricardo, quem ab hinc quatuor annos acerbitate fati mihi praereptum esse valde doleo, matre Helena e gente Scherell, quam superstitem esse summo mihi est gaudio. Fidem profiteor evangelicam.

Cum pater anno h. s. 80 a gymnasio Zittaviensi Lipsiam transmigravisset, ut inter summos gymnasii regii modo constituti in hac urbe esset magistros, primis litterarum elementis imbutus in schola Teichmanniana, anno h. s. 83 regium gymnasium Lipsiense adii quod floret rectore Ricardo Richter. Optime vero de me meruit Ricardus Friedrich, nunc rector Budissinus, cuius erga me beneficia nunquam mihi de memoria excident. Novennio sollemni absoluto maturitatis testimonio exstructus almae matri Lipsiensi inscriptus sum, ubi animus ad antiquitatis studia me ferebat.

Atque docuere me viri illustrissimi: Brugmann, Gardthausen, Heinze, Immisch, Lipsius, Marcks, Ribbeck, Richter, Schneider, Sievers, Wachsmuth, Windisch, Wundt. Postquam per ter senos menses in proseminario philologico tirocinium feci moderantibus Immischio et Bureschio, per tantundem tempus seminarii philologici fui sodalis ordinarius regentibus Lipsio, Ribbeckio, Wachsmuthio. Praeterea Wachsmuthii, Gardthauseni, Cichorii eximia benignitate factum est, ut seminario historico per quinque semenstria essem adscriptus. In paedagogicum seminarium Richterus me proximo semenstri brumali recepit. Deinde ad historicas exercitationes me admisere Gardthausenus et Cichorius per singula semenstria, archaeologiae fontes Schneiderus mihi aperuit, cuius exercitationibus per octo semenstria interfui. Imprimis autem mihi lucro fuisse profiteor quod ad societatem suam septimum nunc semenstre aditum mihi patefecit Ribbeckius.

Quos viros doctissimos semper pia prosequar memoria. Quantum vero debeam cum Wachsmuthio et Gardthauseno, qui studiorum meorum fautores egregii exstiterunt, tum Ribbeckio et Immischio, qui tironi patre orbato nunquam defuere consiliis, qui — quotiens! — adhortati sunt haesitantem, errantem in veram viam induxerunt, verbis dici nequit.

Denique lubens semper recordabor sodalicii philologorum academici, in quo dulce carorum amicorum commercium per quattuor annos mihi contigit.